
Digitized by the Internet Archive
in 2018 with funding from
Getty Research Institute

https://archive.org/details/francíscifabrici00fabr

FRANCISCI FABRICII
O R A T I O
IN NATALEM
CENTESIMUM ET QUINQUAGESIMUM,
S I V E
ANNUM JUBILÆUM TERTIUM
ACADEMIÆ BATAVÆ,
QUÆ EST LUGDUNI-BATAVORUM,
H A B I T A
AUCTORITATE PUBLICA
Die VIII. *Februarii MDCCXXV.*

In Templo Maximo,

Cum Rectoris Academiæ munere tertiò abiret.



Juſſu Illuſtriſſimorum & Ampliſſimornm ACADEMIAE BATAVAE CURATORUM, eorumque Collegarum, CONSULUM URBIS LEIDAE,

In Typographia Academica

P E T R I V A N D E R A A,

Bibliopolae, & ipſorum Typographi ordinarii. MDCCXXV.

Illuſtriſſimorum & Præpotentium ORDINUM HOLLANDIÆ ET WESTFRISIÆ, ad Annum Academiæ Leidenſis Jubilæum tertium, ſua præſentia, favore, & auctoritate honeſtandum LEGATIS SPLENDIDISSIMIS,

Viris vere Illuſtribus & Reipublicæ Decoribus

CAROLO PHILIPPO, BARONI VAN DORP, Toparchæ in Maaſdam, Ordinis Equeſtris Nobilium Hollandiæ Adſeſſori principi, ejuſque nomine ad conſeſſum Ordinum Fœderati Belgii legato &c. &c. &c.

HUGONI REPELAER J. U. D. Senatori, & primæ in Hollandiæ Dordrechtanorum Urbis Conſuli.

NICOLAO SAUTYN J. U. D. Senatori & Conſulari Urbis Amſtelædamenſis.

JOHANNI SCHAGEN. Senatori, & apud Alcmarienſes Conſuli.

Ut &

Illuſtribus & Ampliſſimis

Academiæ Lugduno-Batavæ Curatoribus

ALBRECHTO NICOLAO, Baroni de Schagen, Toparchæ in Gaudriaan, Equeſtri Ordini Nobilium Hollandiæ Adlecto, Magiſtrorum Rationum Comitatus Hollandiæ primo, Judicii Venatici adſeſſori, Agri Rhenolandici Curatoribus adſcripto, Societatis Indicæ Orientalis Rectori &c. &c. &c.

HERMANNO VANDEN HONERT, J. U. D.
Reipublicæ Dordrechtanæ Senatori ac Conſuli, Aggerum Alblaſſerwerdenſium Comiti &c. &c.

CORNELIO VAN VALKENBURG, J. U. D.
Senatori & Conſulari, Harlemenſis urbis Prætori, Aggerum Rhenolandicæ præfecturæ adſeſſori &c. &c.

Eorumque Collegis

Ampliſſimis & Graviſſimis

Urbis Lugduno-Batavæ Conſulibus,

JOHANNI VAN DEN BERG J. U. D.
Conſulum Præſidi: Fratri per affinitatem ſuo unico & exoptatiſſimo.

YSBRANDO DE BYE J. U. D.

HENRICO VAN WILLIGEN J. U. D.

ABRAHAMO HOGENHOUCK J. U. D.

Et

Viro Ampliſſimo

PETRO GYS J. U. D.
Senatori, & modo Scabino Urbis Leidenſis, illuſtri Curatorum & Conſulum conſeſſui a Secretis, ſuo per affinitatem conjunctiſſimo Cognato.

Hanc Orationem

D. D. D.

FRANCISCUS FABRICIUS.

FRANCISCI FABRICII
ORATIO
IN
NATALEM TERTIUM ACADEMIÆ LUGD. BATAVÆ.

QUæ hæc nova conventus noſtri facies eſt! Quis inſolitus conſpectus! Fallor? Nonne hoc idem iſtud Templum eſt, & hujus quidem Urbis majus, in quo ſacra Chriſtiana ſolemniter celebrare eramus ſoliti? Nonne hæc ipſa illa Cathedra, ex qua toties Orator ego ſacer ad cœtum Eccleſiaſticum triginta circiter annos verba feci, & dicere ferme jam conſuevi? Immo vero, Auditores: nam & locum veterem agnoſco, & ſueta ſubſellia.

Verum enimvero, nonne & hic ipſe octavus ille eſt Februarii menſis dies, ut per totum literatum orbem celebratiſſimus, ita Civitati etiam noſtræ læ-

tiſſimus, quo mihi Academiæ Rectori, feſſo jam & anhelanti, more majorum ſupremus ejus Magiſtratus, quem hoc anno geſſi, eſt deponendus, ut eundem alius, & ætate & viribus ferendo minus impar, ex ordine ſuſcipiat? Quin nonne eum in finem coram cerno, hinc deſignatum mihi ſucceſſorem Rectorem Magnificum; illinc ſacratiſſimæ ædis Academiæ Deos tutelares ad ſolemnem hunc actum ſua præſentia honeſtandum, auctoritateque ſua ſanciendum congregatos? Et horum nihil eſt, de quo jure hæſitem. Quis ergo, aut quem in finem, cum illa ſic ſe habeant de more, novus hicce locus, novus hicce, & omnibus vobis, & mihi quoque nunquam viſus aut cognitus ante apparatus?

Etenim, quaquaverſum oculis omnia luſtrans, & locum, & plurima alia præter morem compoſita conſpicio. Sedilia non tantum aulæis tecta, ſed & ipſum hunc ſuggeſtum. Concurſum non modo numeroſioris populi, ſed Virorum honoribus, eruditione, ac virtute conſpicuorum, ſive Hoſpitum, ſive Civium, qui pari omnes huc confluxerunt ſedulitate atque frequentia, longe ampliſſimum. Iſtud ſedile, quod mihi in obverſam faciem, occupatum cerno inſeſſumque a Viris, uti ſummæ amplitudine fortunæ, ſic & admirabili atque majeſtati ſupremæ decora gravitate præcellentibus, quorum me veneranda ora vultuſque verendi movent. Ipſam illam denique, quæ ex omnium veſtri oculis emicat alacritas,

tas, abſque negligentiæ crimine præterire uti haud poſſim, ſic haud debeam. Quæ cuncta certe aliquid afferunt Oratori, tametſi mediocriter verſato, quo turbetur, & tantum non obſtupeſcat.

Quo vero tandem omine hæc omnia magnifica, iſthoc ſplendore oculos animoſque noſtros percellentia, in hunc convenere locum diemque, uſque adeo, ut veterem conſuetudinem Auditorii, & priſtinum dicendi morem minime videam? Nimirum iſtud erat, Audd. quod fama percepiſtis: quod tutelarium loci Deorum inſignior hæc benevolentia nobis ingeminat: quod denique a me ampliori vobis verborum ambitu expoſitum iri, ipſa illorum oculorum auriumque in me intentione cupere vos & exſpectare ſignificatis. Dies, quem nunc ſimul læti & tam frequentes agimus, Audd. eundem non iterum unquam, longe maximam certe tanti numeri partem acturi, dies hicce, non ut ſingulis quidem annis, feſtus eſt tantum, ſed & nunc Academiæ noſtræ natalis pariter ac jubilæus, & tertius, poſt elapſos nunc tres, ſingulos quinquaginta annorum, orbes, ex quo Pallas hic loci conſtitit benigna. Hujus diei ſolemnitatem condecorant ipſi Patres Patriæ: & hi ſunt Viri iſti ſplendidiſſimi, quos coram conſpicio. Cum vero ad hunc actum concurrerit tota Hollandia docta, neque Palladii noſtri Auditorium majus, quantumvis cæteroquin ſatis capax, capiat frequentiam tantam, en Eccleſi-

am, tam arcto ſocietatis vinculo cum Academia cognatam, quæ locum ei cedat ſuum hoc ad jubilum ſolennius celebrandum, quod in hanc lucem recurrit. Lucem ô omnibus vobis, quemadmodum confido, exoptatiſſimam! mihi certe, quod ſcio, ô dulcem ſemper, & candidiore, donec vixerim, numerandam lapillo. Mihi, inquam, qui cum omnibus vobis commune, nec vulgare tamen, aut tenue gaudeo gaudium Academiæ ſtantis, Patriæ manentis, Eccleſiæ nondum everſæ: quarum trium, hiſce quidem, quas incolimus, regionibus eandem fore aut ſtantium, aut cadentium ſortem, utinam nemo inter vos ſit qui dubitet! Mihi porro etiam, qui poſt primum Petr. Cunæum, & alterum Arn. Syenum, Viros politiſſimos & celebratiſſimos, illum quidem ante centum, hunc vero ante quinquaginta proxime elapſos annos, tertius laudum Almæ Matris præco adſum; duobus illis anterioribus multo quidem reſpectu, negare nolim, inferior, alacritate tamen benevolæque mentis contentione eorum neutri conceſſurus. Si enim hunc ipſum diem, Academiæ natalem tertium, Regiminis pariter mei Academici tertiò nunc exeuntis, Deus immortalis tertium ultimum eſſe voluerit; ſi duplex iſta diei feſtivitas jure ſuo poſtulet gratiſſimi animi teſtificationem; ſi id a me exſpectetis, Audd. bene habet, faciam quod poſſum, oblatamque mihi provinciam, ſi

ſi non pro rei dignitate, pro virili certe mea adminiſtrabo.

Quamvis enim ipſe Oratorum Græcorum princeps Demonſthenes aſſeveraverit *magnam cauſam* (qualis nobis jam tractanda eſt) *magnum facere Oratorem*, ego tamen cum tenuitatis, tum & ingraveſcentis inſuper ætatis, mihi probe conſcius, vereor ut ad tantam cauſam requiſitas animi corporiſque facultates afferre valeam, aut appoſite, & ſat firmis lateribus, convenienter auſpicatiſſimi hujus diei ſolemnitati dicere.

Recreat me tamen veſter, Auditores omnium Ordinum ſpectatiſſimi, amor & affectus propenſiſſimus, quem expertus ſum pluries ante, in quo multum mihi eſt præſidii. Præcipue ubi locuturus ſum de argumento gratiſſimo, de omnium veſtrum Matre, quæ vos vel creſcentes nutrit impræſens, vel adultos nutrivit olim, cujus memoria, & vitæ hic ſuaviter ante actæ Muſiſque dicatæ, vel in ſera ſenectute vobis ſemper eſt jucundiſſima: quæ ſedulos & faventes exſpectat Auditores.

Recreat me & veſter, Patres Patriæ, conſpectus graviſſimus, ſed & ſimul gratiſſimus. De hac quippe veſtra etiam Academia ſum locuturus, quam olim & Vos ipſi, ô Proceres, frequentaſtis Juvenes, quæ Vos effinxit talis tantoſque nunc Viros, a qua didiciſtis bene vivere, & ſapienter ordinare Rempublicam: quam-

que ideo, & merito, ceu Almam Matrem impenſe venerati quondam, nunc ad Reipublicæ gubernacula admoti ſollicite curatis, atque fovetis benigniſſime. Et quis civium non ad tanta ſe Regum componat exempla, quorum auctoritas mihi arx erit calcarque? Quis ergo non amet, quis non erigat, non favore ſuo ſuſtentet laudes Academiæ hujus, quamvis tenui modulaturum avena, ejus ortum & præcipua fata proſecuturum, cauſſamque acturum?

In primis vero me erigit ipſa iſtius Numinis clementia, cujus munere ſtat manetque hæc ſapientiæ divinæ humanæque conſecrata domus: hujuſque ego auxilium cum maxime ſupplex imploro, ne ſinat me dicturum tanto die, tantis Auditoribus, de tanti momenti materia, & ſic dicturum nunquam aliàs iterum, audituris etiam forſan in hac vitæ brevitate iterum nullis veſtrum ex tanto numero, ne ſinat, inquam, me nimis aut mentis, aut corporis viribus infra argumenti ſubſidere dignitatem. Tu ergo, ô Deus, mihi cauſas memora, & adfer opem petenti! Tu, Univerſitatis hujus Stator, tuam virtutem, ſi unquam, nunc certe in mea Oratoris, de beneficiis tuis a Te in hanc ædem ſacram effuſis dicturi, infirmitate corrobora, multiplica, conſumma, in Nominis tui gloriam, hujuſque Palladii decus & incrementum auſpicatiſſimum!

Urbs eſt antiqua & ampliſſima, quam veteres tenue-

re, tenentque etiamnum Grudio Brabanti, Lovanium. Hanc unam Pallas urbibus magis omnibus in univerſo Belgio coluiſſe conſtat. Hic illius ſedes, hic Muſæ fuerunt. In tantum quoque mox ea excrevit celebritatis faſtigium, ut ex quavis Europæ parte, & noſtris etiam hiſce Regionibus, illuc confluxus fuerit ingens & eruditorum hominum, & Juvenum ſtudiis artibuſque liberalibus enixe operam navantium.

Factum vero Majorum noſtrorum memoriâ, quæ, eheu! tunc erant tempora, cum Hiſpana imperandi libido ultra limites provecta ſuos, ſub ſuperbiſſimi crudeliſſimique Ducis Albani gubernatione dicam, an tyrannide? in gentem hanc Batavæ & avitæ libertatis tenaciſſimam impotentiſſime ſæviens, metum induceret haud inanem, ne Religio purior unà cum libertate publica funditus everteretur, ut in ipſa illa Lovanienſi Univerſitate viderentur principia perverſa, tyrannidi iſti nimis faventia, teneris Studioſorum animis imprimi.

Ex hac juvenilium ingeniorum corruptela, re, ſi ex hodiernis eam æſtimetis opinionibus, nullius ferme momenti, at judicio Majorum noſtrorum, ſapientiſſimorum mortalium, certe graviſſima, nihil non mali præſagiebat, qua erat ſagacitate, providus ille Princeps Arauſionenſis Guilielmus I. omni laude dignus, ſed omni major, cujus vere Patris Patriæ memoria ſemper & ubique apud omnes bo-

nos viget vigebitque in perpetuum, donec ſanguini ſtemmatis antiquiſſimi nobiliſſimique, pro libertate gentis ſerviliter oppreſſæ effuſo, ſuum manebit pretium. Hic ergo Guilielmus Magnus, Civitatis Batavæ Gubernator ſub Philippo II. Hiſpaniarum Rege potentiſſimo, Hollandiæque noſtræ Comite ultimo, epiſtola prolixa ad Nobiliſſimos & Præpotentes Hollandiæ Ordines Medioburgo ſcripta 28. Decemb. Anni 1574. perque manus Jacobi Sayardi miſſa, seriò admodum auctor fuit, ut quantocyus, durante adhuc bello contra Hiſpanos, antequam *de pace induciiſque pangendis cum hoſte ageretur*, Univerſitatem domeſticam exterarum æmulam excitarent in *Hollandiæ Zelandiæve Comitatu*, *ad fulcrum ac conſervationem libertatis legitimique Patriæ regiminis*, *non tantum in iis*, *quæ ad Religionem*, *ſed & communem ſtatus civilis ſalutem ſpectant.*

Prout conſuluit Princeps ſapientiſſimus, ita evenit feliciter. Poſt ſeriam quippe deliberationem Hollandia eligitur: & in Hollandia hæc ipſa noſtra antiquiſſima Leida, quam exornet collocanda Univerſitatis ſedes, a Proceribus noſtris prius exornatæ univerſis quidem privilegiis, quæ Academiis aliis ubique terrarum ſecundum jura & conſuetudines, ſi non diſerte abrogatæ hic ſunt, competunt; & ſingularibus inſuper immunitatibus decoratæ, inter quas huic noſtræ juriſdictionem, quà Politicam, quà Juridicialem permiſerunt privam: & tantam quidem

dem, quantam nullæ aliæ habent, nulla tribunalia oppidana alia, per quam & huic jus eſt cives ſuos ex aliis univerſæ Patriæ Civitatibus evocandi, & latam ſemel ſententiam ſine ulla ad ullam Curiam ſuperiorem appellatione, executioni mandandi: ita ut Juriſdictionem habeat a nemine certe, (mirum dictu) niſi ſolo hujus Regionis Principe, id eſt, ab ipſis Ordinibus dependentem: atque adeo vel ſic *Univerſitas* jure dici mereatur.

Tantis honoribus condecoratæ Univerſitati inaugurandæ dies brevi poſt illuxit hic ipſe menſis Februarii octavus, anno æræ Chriſtianæ ſupra milleſimum & quingenteſimum ſeptuageſimo quinto. Inauguratio ipſa ſub Principis Arauſionenſis auſpiciis, & Ordinum auctoritate ſuprema multiplici cum pompa ac feſtivitate publica ſolemniter peracta fuit. Hanc pompam deducebant univerſæ Reipublicæ nomine Legati quavis dignitate maximiſque muneribus præcellentes in tota Hollandia Viri, Equites, Nobiles, Magiſtratus, Senatores Curiæ.

Inter hos eminebat primo loco Janus Douſa, Nordovici Dominus, illuſtriſſima familia natus, atque gladio & literis, quæ priori ſociatæ veram demum illam & nunquam morituram Nobilitatem pariunt, vix ulli ſecundus, digniſſimuſque ſane, qui, poſtquam urbi huic ab Hiſpanis obſeſſæ præfectus cauſam Religionis atque libertatis prudenter ac fortiter contra hoſtes nuper defende-

rat, pariter Academiæ, ad ſtatuminandam utramque ex conſilio Principis fundatæ, mox Curator primus præficeretur. Aderant unà Viri illuſtriſſimi Brederodii, Duvenvoordii, Broukhovii, aliique, qui bini primos Profeſſores honoris cauſa medios humaniſſime ex Curia ad ſedem Academicam comitabantur.

Ut novum hoc, neque hactenus in gente Batava viſum, inceptum felix fauſtumque foret, a Deo principium factum, fuſis, poſt habitam in ipſo hoc Templo majori, ex ipſa hac eadem cathedra Sacra hora ſeptima matutina, orationem ſacram, conceptis ad eum precibus, habitaque mox in ſede Academica prælectione prima in frequentiſſima Auditorum corona a Caſp. Coolhaſio, Eccleſiæ Leidenſis tunc Miniſtro.

Auſpiciis iſtis rite peractis mox in publicam effuſa lætitiam Civitas, nullumque non genus ſignorum gaudii editum a quibusvis civibus, qui hanc intra mœnia ſua Academiam avidiſſime recipiendam iſthoc tempore cenſebant ceu theſaurum pretioſiſſimum.

Nec civibus ſuis diſſonus Magiſtratus urbanus lautiſſimum ſplendidiſſimumque convivium apparavit novis Profeſſoribus, cæteriſque Viris honoratis, ſolemnitatis hujus præſidibus comitibuſque in æde Naeldvicena. Sed hæc aliaque huc pertinentia paſſim annalibus prodita, notiſſima cuivis haud prorſus rudi eſſe debent.

Unum, quod hodiernos modo mores reputantibus mira-

raculi inſtar accidere videri poſſit, ſilentio haud prætercam. Cum nempe axiomate quam vulgari, tam veriſſimo, *inter arma* ſoleant *ſilere leges*; Joannes ipſe adeo Brabantiæ Dux Univerſitatem Lovanienſem ceſſantibus demum bellis condiderit; hic contrà in medio, &, ut omnes patriæ hiſtoriæ periti norunt, periculoſiſſimo bello, dum omnia ſurſum deorſum volverentur, & tantum non penitus actum videretur de Republica noſtra & Eccleſia univerſa, Legibus quà divinis, quà humanis, boniſque, quæ iſtas illuſtrant, Literis evulgandis, explicandis, prælegendiſque, conſtituta fuiſſe hæc ipſa, quæ etiamnum in hoc noſtro bonæ mentis Templo cernitis, auditoria; quin & ipſam tunc Palladem armatam proceſſiſſe; civesque urbanos novos Profeſſores per vias publicas in Academiam introduxiſſe circumfulgentibus armis, exploſiſque etiam omne genus tormentis bellicis. Quaſi, quibus armis teliſque Libertatem avitam Religionemque ſinceram contra vim Hiſpanam, vix quatuor menſes ante die 3. Octob. anni 1574. propulſatam, defendiſſent, iiſdem ſeſe Academiam, utriſque conſervandis deſtinatam, contra vim hoſtilem quamcunque tuituros, publice ſic ſignificare voluiſſent. Atque adeo cum pugnandum his fuiſſet cum tot belli malis, ante mœnia cum hoſte, per urbem cum fame, in ædibus cum peſtilentia, quæ fortiter ſuperaverant cuncta, nulla tunc alia Urbs Muſis

tutius opportuniuſque hoſpitium videbatur, & ipſa Academia futura digniſſimum duplicis obſidionis conſtanti animo exantlatæ hoſtimentum.

Nec tuta ſic tantum per civium iſtam fortitudinem Muſis hic ſtatio, ſed & per ipſam loci naturam amœniſſima contigit. Quid enim ſitu urbis ſalubrius? quid aptius? quid pulchrius? Aer purus ac clemens. Annonæ abundantia copioſiſſima. Sedes in meditullio Hollandiæ, reliquis urbibus coronæ inſtar ſplendidiſſimæ undique eam cingentibus. Cives humani ad fugientes paſſim Muſas excipiendas animo propenſiſſimi. Arx vetuſtiſſima & celebratiſſima. Foſſæ fluminum inſtar plurimæ. Plateæ viæque peramplæ. Templa, Palatia magnifica. Amplitudo, populi numerus, niſi ſoli Amſtelædamo, nulli Patriæ urbi ſecundus. Fluens per eam, aut circumfluens etiam Rhenus Pater, Dœſa, Zilia, Marna, Fletus, foſſa Romana Corbulonis antiquiſſima. Agri Rhenolandici caput.

Si pedem extra urbem efferatis ipſa amœnitas. Quaquaverſum villæ ampliſſimæ, pagi frequentiſſimi & opulentiſſimi, prætoria ſuperbiſſima, rivuli limpidiſſimi, lacus Leidenſis ſpatioſiſſimus maris parvi ſpeciem præferens, idemque piſcibus gratiſſimi ſaporis abundans, ipſe denique Oceanus vaſtiſſimus, nullumque non genus delitiarum marinarum ſuppeditans. Quid hortos dicam, quid prata, agros, arboreta, ſegetes,

quæ

quæ lætiſſimo adſpectu paſcunt oculos, animum recreant, laſſumque exhilarant.

Si magna Virorum illuſtriſſimorum, quà genere, quà ſtudiis, deſideretis exempla, neque ab his Urbs hæc deſtituta. Hoc enim loco non nati modo Principes Guilielmus hujus nominis II. Comes Hollandiæ, Rex ſimul Romanorum; hujuſque filius Florentius V. Hollandiæ pariter Comes; ſed & alii, aut doctrinæ, aut ingenii elegantia, aut alia quavis arte liberali vere præſtantes, hic ſive orti, ſive aliunde huc evocati. Inter quos præcellit agmenque ducit Phil. de Leidis, non nobilitate familiæ magis, quam eruditionis laude præclarus, ſeculo jam decimo quarto. Hunc exceperunt deinceps complures alii: Jo. Gerbrandus: Nic. Leontius: Petr. Blommevenna: Jo. Franconius: Corn. Petri: Jo. Gerardus: Corn. Heidius: Corn. Engelbertus: Corn. Kunſtius: Lucas & Arnoldus Leidenſes: Jo. Banchemius, qui inter primos etiam Academiæ recens erectæ Curator fuit, cæterique pares, qui ſuo merito inclyti feliciſſimum omen præbuerunt Patriæ Patribus Athenas Batavas hic potiſſimum collocandi, ubi bonarum mentium fertile admodum videbatur fuiſſe, & porro fore ſeminarium.

Sed quid Urbis laudes memoro? Ipſa Academia Urbi, intra cujus mœnia conſiſtit, ſitus commoditate ſplendoriſque amœnitate nequaquam cedit. Poſt portam

magnificam ibi adeſt veſtibulum, non minus quam Urbs univerſa lætiſſimis arboribus veſtitum. Ædes ipſa ampliſſimis inſtructa auditoriis, cuivis Facultati tradendæ ſcite adaptatis. Horum maximum organo ornatum muſico, ad omnia feſta noſtra inibi celebranda, concinentibus pariter fidibus vocibuſque.

In hujus ſummitate turris, in cujus faſtigio Pallas armata præfulget, cum campana, ad horas Prælectionibus conſtitutas indicandas. Juxta hanc turrim ſpecula Aſtronomica cum inſtrumentis neceſſariis affabre ordinata, ſuper ipſo ædis tecto in aëre quaſi penſilis exſtructa, liberum a quavis parte præbens proſpectum, non in cœli duntaxat altiſſima, ſed omnes etiam circumjacentes agros, urbes, pagos, lacus, mare, adeoque, quod maxime hic requiritur, in ipſum quoque horizontem. Et quid apparatu ſupellectilis ibidem ad obſervanda ſydera locupletius? quid artificioſius?

In propinquo ortum verſus viſitur ædes artificioſiſſimæ ſeſe turris cuſpide, qua forte non alia in tota Regione noſtra artificioſior eſt, in altum efferens, inferiori ſui parte auditorio, ad Mathematicam diſciplinam in eo lingua quoque Belgica tradendam, cum ſupellectile & inſtrumentis neceſſariis; mediâ autem Amphitheatro Anatomico deſtinata, cui ditando tot exercitatæ concurrerunt manus; quod Anatomici ſummi & diligentiſſimi ſane Viri; quod & Jo. Jac. Ravii noſtri liberalitas

litas ita ornavit ut nihil ſupra: ſuperiori tandem ſui parte complectens Bibliothecam publicam, opulentiſſimo librorum ſulgentem theſauro: locupletiorem legatis Holmannianis, Scaligeranis, Vulcanianis, Warnerianis, Perizonianis, aliis, & plurimum codicibus manuſcriptis rarioribus, in primis Orientalibus, quorum tam ingens hic eſt promtuarium, ut in Europa hac in parte prima certe, & nulli ſecunda ſit. Quid dicam de iſthac celebratiſſimæ librariæ ſupellectilis Voſſianæ acceſſione locupletiſſima, tanta pecuniæ vi comparata? Quid de admiranda illa Sphæra Aſtronomica hic collocata, quæ tot curioſos ſpectatores huc undequaque allicit? Quid de Bibliotheca Thyſiana, in alia ab hac remota æde verſus Septentrionem huic accommodata, in publicum quoque Academiæ uſum legata?

In propinquo itidem, ſed ad meridianam cœli plagam, conſpectui ſeſe offert Collegium Theologicum ſatis amplum, quod jure diceretis ſcholam Prophetarum, a Præpotentibus Ordinibus exſtructum, cœnobium Juvenum egregiorum, qui ibi non in noſtræ Patriæ modo, ſed Eccleſiarum inſuper Hungaricarum, Polonarum, Lithuanicarum aliarumque, ſpem & uſum aluntur: & tot quidem numero, quot vix recenſere poſſunt aliquando Academiæ nonnullæ. Taceo tot Viros munificentiſſimos, qui teſtamenti tabulis ordinarunt tantam quiſque pecuniæ ſummam, ut aliquot Juvenes ex

 redi-

reditibus annuis luculenter ſatis ſe ſtudiis emancipare poſſint. Quando finis eſſet ſi hic memorarem Haletos, Nuytzios, Broekhovios, Bockelmannos, Perizonios, Zeos alioſque?

Sat vero in ſpecula conſiſtentes oculos pavimus, tempus eſt ex alto deorſum deſcendendi: ubi ad ſiniſtram offendetis conclave majus minuſque, in quibus habetur Senatus Academicus. Et ulterius de gradibus in veſtibulum progredientibus, en vobis in faciem obverſam publicæ typographiæ officinam. En vobis porro a ſiniſtris Hortum Botanicum, quo nullum, licet exiguo in ſpatio, aut caſtigatiori ordine digeſtum, aut ex nullo non terrarum angulo quæſitis ſtirpibus ornatiorem eſſe, teſtantur omnes, qui alios inſpexere publico dicatos uſui hortos. Hunc liberalis Procerum Academicorum favor ter protulit, ter ampliavit. Hunc Profeſſorum Botanicorum induſtria ſic ditavit, ut denuo ſuas divitias capere impar novam prolationem deſideret. Diceretis Tempe eſſe, veteremque Parnaſſum, Pindum & Heliconem hic inſtaurari.

Nec hic tamen admirationis terminus. Cingitur ad ſiniſtram partem, quam concinne! hic Paradiſus Armario Academico, gazophylacio certe varii generis ad Phyſicam naturalemque hiſtoriam pertinentibus miraculis inſtructiſſimo. Poſt illud in theatro Phyſico aëris machinæ, Hydroſtatica, Hydraulica, Mechanica

 in-

inſtrumenta accuratiſſime fabrefacta, nitidiſſime ipſo ab uſu ſplendentia, ſe offerunt. Ibi exquiſitiſſimis experimentis vires rerum & poteſtates corporum ſecundum artis naturæque leges explorantur, demonſtrantur.

Ad dextram vero penetranti occurrit officina Vulcani ardentis, ubi impenſis etiam publicis hybernæ exercentur operæ Chemicæ, ut corpora interiora igne aperta diluceant.

Quæ omnia, ſi unico mentis complexu contueamini, ſedem Reipublicæ Platonicæ, immo vero plus quam Platonicæ, id eſt, Philoſophicæ prorſus, & a civilium negotiorum ſtrepitu ſegregatæ, hiſce tamen omnibus vitam atque ſpiritum ſubminiſtraturæ, in hoc ædis hujus circuitu vere, & non in cerebri tantum phantaſia, contemplabimini. Sed de hiſce ſatis.

Ipſe etiam inaugurationis dies, octavus ille Februarii menſis, indictus nobis eſſe non debet. Hoc enim eodem quondam ante multa ſecula, anno ſcilicet æræ Chriſtianæ quinquageſimo ſecundo ſupra quingenteſimum, Conſtantinopoli, hac noſtra Regione in mediis etiamnum ſedente tenebris, ſanciverat Juſtinianus Imperator, ut Hebræis liceat Sacras Scripturas Latine, vel Græce, vel alia lingua uſitata, ubi vivunt, legere. Nunc hoc ipſo, poſt mille & viginti tres recurrente annos, ſanciunt Imperatores, (ſic mihi vocare liceat Il-

luſtriſſimos Ordines, penes quos junctos ſumma eſt poteſtas in libera Batavorum Republica, pari, at multo benigniori majeſtate Imperatores), ſuadente Arauſionenſi,(mira enimvero fatorum convenientia) ut Chriſtiani hic loci legere doceantur Biblia Sacra, non modo lingua Hebræa; non Hippocratis modo, Ariſtotelis, Herodoti, & aliorum ſcripta Græca; ſed ab ipſo etiam illo Juſtiniano ſermone Latino digeſta Juris Civilis volumina.

Præ cæteris vero tandem ad preces, ipſo illo inaugurationis tempore ad Deum ter Opt. Max. fuſas, quæſo, animos advortite. Nequaquam illæ fuerunt irritæ. Etenim brevi poſt fundationem nova hæc Univerſitas ingenti multitudine eorum, qui Muſis operantes hic ſuas locarunt ſedes, e propinquo, e longinquo huc confluente, antiquarum Academiarum, ipſius quoque Lovanienſis ſplendorem non parum obſcuravit. Eja, quam pulcher adſpectus! nec enim glorioſiſſimum hoc ſpectaculum fugienti perluſtrandum oculo. Hic mox, & ſequentibus ætatibus, non Batavi modo & Friſii, & qui in Regionibus ſeptem, feliciſſimo fœdere non dudum poſt unitis, habitant; non Germani tantum & ſuperiores ii, atque Galli; ſed & Helvetii, Britanni, Hungari, Poloni, Ruſſi, & quicquid nationum Europæum colit orbem. Interque eos Viri honorati, Juvenes ſpectatiſſimi, e prima quoque Nobilitate & Divorum ſanguine nati

Prin-

Principes Illuſtriſſimi, ſapientiam hauſerunt humanam, &, ſi quem diverſorum non illigaſſet ſacrorum præjudicium, divinam quoque ac ſupremam. Quam egregiam Almæ Matris laudem ipſa illorum nomina manu propria Albo Academico inſcripta etiamnum ſciſcitantibus confirmare poſſunt.

Ex his vero non memoraſſe in hac Oratione, utut cancellis includenda quam anguſtiſſimis, duos Sereniſſimi Arauſionenſis Guilielmi I. Lycei hujus primi auctoris ſuaſoriſque, filios Mauritium & Fredericum Henricum, avitæ virtutis honoriſque hæredes integerrimos, piaculum foret. Horum natu majorem mox Anno 1582. in cariſſimo ſcilicet pignore ipſemet capturus ſui conſilii experimentum Pater ſapientiſſimus, huc miſit agentem annos ferme ætatis ſedecim: epiſtola ſimul ad Rectorem, ac Senatum Academiæ Leidenſis data Latino ſermone exarata, qua Filium ſollicitæ Profeſſorum curæ impenſe *commendabat*, a quibus exſpectabat fore, ut *eorum opera iis rebus inſtructus, quæ ſunt neceſſariæ, aliquando Reipublicæ univerſæ inſervire poſſet, magno totius Reipublicæ, præſertim Hollandiæ bono, & cum aliquâ nominis dignitate.*

Videtis, Audd. Principis, nemini non a ſapientia, prudentia, & fortitudine laudatiſſimi, opinionem de Academiæ ad ipſos Principes Patriæ parandos utilitate. Videtis tanti Principis erga Profeſſores Academiæ, ut-

ut omnia ipſi debentis, officioſam comitatem.

Neque ſpem fefellit eventus, ſi ipſius Juvenis, poſt ſublatum Delfis nefaria parricidæ manu Patrem, cum dicta, tum acta conſideretis. Etenim ab Academia per iſtum caſum luctuoſum avulſus, in Epiſtola non ita multo poſt ad Rectorem cæteroſque Profeſſores ſcribit, *gratius equidem aut acceptius nihil ſibi accidere potuiſſe, quam illico Lugdunum ad Almæ Academiæ, tanquam ad Matris dulciſſimæ gremium potuiſſe reverti: Ampliſſimis* verò *Patriæ Ordinibus viſum fuiſſe iſtic* (Delfis) *remorari.* Et poſt gratiarum actionem pro acceptis ab ipſis *beneficiis, vult perſuaſum habeant memoriam eorum omnium ipſi, quoad ſpiritum duxerit, fore gratiſſimam, ſeque & opera & ſtudio ſuo nunquam ipſis defuturum.* Rogat denique ut *ipſum ſolito poſthac amore ſemper complexum teneant.* Verba Principis audiviſtis, jam cernite acta.

Juvenis hicce Reipublicæ gubernaculo tunc admotus, annos ætatis habens octodecim; tanta tamen eam cum prudentia adminiſtravit, quanta cum fortitudine bellum adverſus communem hoſtem: adeo ut, uti & ætatem ſuam & exſpectationem omnium ſuperavit, ſic & paterna illa vota examuſſim adimpleviſſe dici poſſit.

Sed ad Heröes etiam illos accedendum eſt, per quorum eruditionem raram Univerſitas hæc incrementa tanta cepit, quoſque commode in tres iſtas ætates, quinqua-

quaginta ſingulas annorum, quibus floruit hactenus Academia noſtra, videor diſtribuere poſſe.

Prima harum ineunte, in ipſo Academiæ excitatæ principio, Caſparus Coolhaſius, quem & antea memoravi, primus Theologiam profitebatur. Theodorus Egmonda-Nieuburgius I. C. & Provincialis Curiæ Senator, Jus Juſtinianeum prælegebat, cum Collega Juſto Menenio, itidem Senatore Fiſcique patrono. Quanta nomina, Audd. quanta munera, & quam honorifica! Medicinæ profeſſionem inchoabant Petrus Foreſtus, cui dabatur Collega Laurentius Oirſchotus. Gerardus Bontius, Medicinæ Doctor, Mathematicam docebat. Tandem Cornelius Grotius, I. C. & libellorum ſupplicum Magiſter, Philoſophiæ diſciplinam tradebat.

Et hi quidem erant primi Viri inclyti, qui prima conſecutæ celebritatis fundamenta poſuerunt. Hos vero, quorum etiam nonnulli ad tempus modo extra ordinem iſtam in ſe ſuſceperant provinciam, mox & deinceps porro, exceperunt alii pluresque in quacunque ſcientia Doctores ordinarii, quorum omnia nomina recitare, quorumque merita in rem literariam recenſere, Orationis terminos excederet, nec audientibus adeo, quam lecturis gratum foret. Numerum modo eorum ſtrictim hic indicabo.

Primis hiſce quinquaginta Academiæ annis, quorum tenuiora tantum exhibebam principia, floruerunt

runt Theologi poſt Coolhaſium alii adhuc novendecim, quorum primus Ludov. Cappellus Orationem quoque habuit Academiæ inauguralem. Juriſconſulti poſt duos illos jam laudatos quatuordecim. Medici, cum Theoretici, tùm Practici, poſt jam recenſitos Foreſtum & Oirſchotum, fuerunt undecim. Longum verò foret diſtincte hic adnumerare Anatomicos, Botanicos, Chymicos, ad quas artes profitendas etiam nonnulli ex jam nominatis admoti ſunt. Philoſophiam verò per omnes hujus partes, Logicam, Ethicam, Phyſicam, Metaphyſicam, Politicam, Aſtronomicam, Geometricam, Arithmeticam, Mathematicam profeſſi, Ger. Bontium & Corn. Grotium inſuper duodecim alii ſecuti ſunt. Quibus non accenſui, memorandos tamen hic, qui has diſciplinas lingua etiam vernacula docuerunt. Facultatem Hiſtoriarum, Antiquitatum, Linguarumque Sacrarum & Exoticarum, Orientalium quoque, omniſque Eloquentiæ, ornarunt Viri celeberrimi numero novendecim: inter quos Petr. Tiara primus Academiæ Rector. Omitto jam, quos in promtu foret unà recenſere, alios Profeſſores Extraordinarios, Lectoreſque in Facultate quavis Viros eximios, contentus Ordinarios iſtos enumeraſſe, penes quos literarum principatus ea erat tempeſtate.

Id vero tacendum hoc loco non eſt, præter recenſi-

tos

tos & alios ab omni orbis habitabilis plaga huc, tanquam ad commune univerſalis ſapientiæ domicilium, accurriſſe Viros honoratos, & in re literaria præcellentiſſimos, ſeu proprio motu, ſive etiam a Curatoribus ipſiſque Ordinibus, lautis, pro eorum temporum ratione, conditionibus invitatos, qui ſedes hic ſuas Muſis dicatas fixerunt, ſuaque præſentia, ſcriptis, ope ac conſilio Lycei noſtri creſcentis decus immenſum adauxerunt. Paucorum e multis memorabo nomina, ſed per totum orbem doctum celeberrima: Phil. Marnixium, Aldegondæ Dominum: Joſ. Juſt. Scaligerum, quam magnum nomen! qui Literatorum vulgo princeps audit: Petr. Scriverium, Phil. Cluverium, alios, quorum memoria veneranda nunquam niſi ipſis cum literis peribit. Adde his Car. Cluſium, qui poſtquam præfectus hortorum fuerat penes Imperatores Maximilianum hujuſque filium Rudolphum II. hic loci inter honoratos Profeſſores vixit, ſcientia rei herbariæ eximia inclytus.

Neque ſoli hi Viri doctiſſimi certatim famam opeſque hujus Academiæ primæ iſthac ætate amplificarunt; Principes etiam, iique exteri accumulavere honores. Vix enim annos viginti poſt primam ſuam originem inſigni beneficio fuit exornata ab Henr. Turrio, Bullionio Duce, Arauſionenſis noſtri genero. Hic quippe heros inclytus a Galliarum Rege Henrico IV.

cognomine Magni, illuſtre procuravit indultum, vel, ſi malitis, diploma, quo conceſſum fuit, ut Studioſi Academiæ Leidenſis per totum Regnum poſſint frui iiſdem privilegiis & immunitatibus, quibus in Gallia fruuntur Studioſi aliarum Academiarum exterarum, & Doctores hic creati ad quævis munia ipſis propria admittantur per totum quoque Regnum: cum ea tamen exceptione, ne qui Doctores Juris Canonici ſint & Theologiæ, & Medicinæ, publice doceant in cathedra Profeſſoria niſi ipſius Regis permiſſu.

Habetis, Audd. primam Academiæ ætatem: ſic cœpit, ſic decucurrit illa proſpere ſatis & feliciter, niſi quod in ejus extremo lites (quæ utinam redeant nunquam!) in ipſo hoc loco circa nonnulla Religionis dogmata primum exortæ, mox verò ad partes in Republica, per quietem externam in ipſis inteſtinis tunc ſuborientes, pertractæ, &, ut ſæpe aliàs factum, factiones politicas Theologicæ diſſenſionis prætextu velantes, altam iſtam noſtri bonæ mentis Templi pacem ac felicitatem ad tempus turbarint. His verò non ita diu poſt prudenti Procerum cura ſopitis, & otio reſtituto, illuxit tandem lætus ille milleſimus ſexcenteſimus vigeſimus quartus annus, a prima Academiæ dedicatione quadrageſimus nonus, atque adeo, prout cenſebatur, Univerſitati huic Jubilæus, olim apud ipſum quoque Dei populum Iſraëliticum, mandante ipſo Numine lætus feſtuſ-

ſtuſque; qui in hac etiam urbe, ceu primus hujus Delubri natalis, ingenti cum feſtivitate, mirifico omnium ætatum atque ordinum gaudio, & incredibili totius Bataviæ concurſu, cultus: habita etiam tunc de ipſo etiam Jubilæo anno, ex Templi Academici majoris cathedra, oratione diſertiſſima, a politiſſimo & omnis eruditionis laude præclaro Petr. Cunæo, Rectoris munere tunc defungente; atque poſt oblatas Divino Numini, Statori ædis hujus, gratiarum actiones lætiſſimas, & tranſactum hilare convivium, edentibus profuſiſſimi gaudii ſigna omnibus, quibus & eruditio ac pietas erat cordi, quales tunc profecto in omni ordine hominum, Nobiliſſimorum etiam, erant plurimi: quæ omnia geſta ſunt hoc ipſo præcedentis anni ante ſeculum die.

Pergite mecum, Audd. & contemplamini ætatem ſecundam, primâ, cui vix quicquam addi poſſe videbatur, minime tamen inferiorem. Quid? inferiorem? immo vero longe etiam ſuperiorem. Hactenus enim hujus Athenæi ſpectavimus infantiam quaſi & adoleſcentiam, ex qua uti progreditur homo ad ſtatum juvenilem virileque robur, ita & ædes hæc ſacra tractu temporis ſemper creſcendo majus majuſque in dies adepta eſt gloriæ atque amplitudinis decus: uſque eo ut vere viri adulti inſtar maſcule fortiterque lacertos moverit, atque totius Europæ oculos a-

nimoſque ſui exiſtimatione abunde impleverit.

Nolim a me exſpectetis, Audd. ut per ſingula eam Virorum illuſtriſſimorum nomina, aut merita, aut elaboratiſſima ſcripta, qui inſignes in quavis Facultate aut Arte per hanc ætatem alteram floruerunt eruditionis famâ. Horum nonnulli non ſibi tantum ſolis ſapuerunt, ſed & poſteris quodammodo ſuis, ingenii ſui præclariſſimi laude in filios, quin & nepotes, immo, & rariſſimo exemplo, in pronepotes per ipſam quaſi generationis ſucceſſionem transfuſa: adeo ut hi haud imparibus paſſibus ſuorum majorum prementes veſtigia, aut hujus Palladii ornaverint cathedras, aut ad ampliſſimos in Urbe non tantum, verum in ipſa quoque Republica Dignitatum gradus eſcenderint: quorum & bene multos Viros honoratos hic coram conſpicio.

Id hic modo dicam hac ætate ejuſmodi floruiſſe Theologos decem: Juriſconſultos duodecim: Medicos novem: Philoſophos duodecim: Philologos novem, quo tamen numero non omnes comprehendi, quorum aliqua in literis hic labor fuit atque laus. Horum verò omnium eruditio præclariſſima huc attraxit non diſcentium duntaxat multitudinem ingentem, ſed Viros quoque iſthoc ævo doctrina incomparabiles.

Quos inter emicuit Claud. Salmaſius, nomen, quod vel ſolo ſui auditu omnibus Literaturæ reconditioris amantibus venerationem inſinuare aptum eſt,

Pro-

Profeſſoris honorarii titulo ſpectabilis.

Diſcentium verò numerum nobilitarunt, non Barones tantum, non Comites, Duces, ſed Principes etiam, Regibus non modo æquandi, verum qui vere Regium deinceps geſtarunt diadema, neque id unicum. Cogitate, quæſo, ſpeciminis gratia, cogitate, qui cæterorum inſtar ſit, Guilielmum III. tunc quidem Arauſionenſem Principem, pòſt Gubernatorem Reipublicæ noſtræ, Regemque trium Regnorum vicinorum, Pronepotem magni iſtius Guilielmi I. cujus auctoritati hæc omnium elegantiarum ſedes primam ſuam debebat originem, redditura ſeculo ferme pòſt huic Pronepoti prudentiæ virtutiſque monita ſaluberrima, per quæ ad ſummos iſtos celſitatum gradus evolavit, dignitatem ſtatumque ſuum in iſthoc faſtigio egregie adeo tuitus eſt, ut amor ſui factus ſit populi, hoſtium terror, & hujus Reipublicæ Stator etiamnum juvenis.

Hæc verò omnibus nota, non pariter hoc quod addam, non habiturum forſan per mores hodie diverſos fidem, niſi viſum fuiſſet multis, cognitum cunctis, quorum nonnulli oculati adhuc teſtes ſuperſunt.

Hic hic tantus jam tunc, tantoque major poſtea Princeps, cum ſtudiorum cauſa hic degeret, (& exemplo ab uno illuſtri diſcite omnes Vos, Juvenes egregii, qui in eundem finem hic adeſtis) ſibi haudqua-

quam dedecori, dedecori dico? immo vero honori duxit, ipſo in Templo majori ſolennibus Academiæ non modo intereſſe pompis, verum etiam ad imitationem magnorum, at alio ævo, Principum, majeſtati ſuæ minime indecorum reputantium, Profeſſorum ædes adire, Patrum inſtar eos conſulere, venerari, ſcholas quoque ipſorum & auditoria ſedulo frequentare, monitaque ſalubria ex ore docto venari.

Non licet nunc per omnes laudum Athenæi hujus circumire partes. Coronidis dicam loco, at dicto omnis abſit invidia, æmulas Academias (aut Gymnaſia illuſtriora) apud Civitates vicinas ſancto nobis fœdere junctas, ad exemplum noſtræ ſerius ocyus excitatas, uti Franequeranam Friſiæ, Anno 1585. Groninganam, anno præteriti ſeculi 14. Ultrajectinam ejuſdem ſeculi anno 36. & tandem Harderovicenam Gelriæ, Anno 48. hanc noſtram omnium tempore primam, in hunc uſque diem, non dicam non ſuperaſſe, ſed ne quidem æquaſſe dignitate, præcellentia, & numeroſo doctrinæ avidiſſimorum Juvenum affluxu; eorum immo etiam, qui alibi ſtudiorum fundamentis haud infeliciter jactis turmatim huc advolent, ut feliciter incepta hic porro felicius promoveant, abſolvant atque conſumment.

Ne vero quiſpiam hæc temere a me dici forte miretur, cogitate, quæſo, Audd. ipſos etiam diſciplinarum

Profeſſores, poſtquam in aliis Lyceis eruditionis & diligentiæ famam aſſecuti ſunt, haud invitos plerumque huc evocari, ut ſuos jam longo rerum ac temporis uſu alibi partos doctrinæ theſauros, inſtituendæque Juventutis dexteritatem, in hoc eminentiſſimo ſapientiæ theatro palam exponant, non aliâ hanc ſtationem commutaturi, antequam, pauciſſimis exceptis, ſuam cum morte vitam hic commutent: ut dicere denique abſque inani gloriatione liceat, alibi eſſe doctorum Virorum Ordines, hic loci ipſum horum Senatum.

Verum, quæ ſunt rerum humanarum vices, ut nihil tam ſtabile ſit, tam ſecundum nihil, quod non aliquando concutiatur, aut adverſæ fortunæ ſentiat incurſum: quemadmodum igitur primæ ætatis finis ſuam expertus fuerat calamitatem, ita hujus ſecundæ exitum duo in primis caſus pene reddiderant funeſtum. Horum alter divinitus immiſſus luctuoſiſſimo luis peſtiferæ contagio, anno ſeculi elapſi ſexageſimo nono, Civitatem Leidenſem, Curiam, Eccleſiam, & Academiam denique noſtram graviſſime afflixit, infinito illam incolarum præcellentium ſpoliavit numero, has præcipuis ſuis orbavit columnis & ornamentis; Profeſſoribus etiam ad dimidium ferme numerum conſumtis: & inter hos occumbente grandi ordinis noſtri Theologici ornamento, ſplendidiſſimo illo Scripturariæ omnis eruditionis lumine Jo. Coccejo. Quam Urbis & A-

H ca-

cademiæ cladem inſigni tunc ex ipſo ſuggeſtu Academico Sermone publico deploravit Theologus & Orator conſummatiſſimus Abrah. Heidanus, Senex venerandus, hujus Univerſitatis, ut & Eccleſiæ Leidenſis ſydus ſplendidiſſimum.

Vix damno illo per Dei clementiam inſtaurato, en alterum ab hoſtibus malum non ita diu poſt, anno ſeptuageſimo ſecundo inſequens, quod fatale videbatur fore, ut Patriæ toti, ſic & Univerſitati noſtræ. Hei mihi, infandum hic jubeor renovare dolorem! Hæc ipſa Urbs, hæc ipſa in Urbe Academia, de mœnibus Urbis proſpiciens, ſuis jam oculis devaſtationis immanis fumum uſurpabat prope in vicinia adſcendentem, hoſtilibus Gallorum copiis, Duce homine non tam, quam monſtro hominis, Swammerdamum & Bodegravum pagos frequentiſſimos, furenti adeo & pluſquam barbara crudelitate pervaſtantibus, quaſi æternam una ea nocte maculam ſuæ cæteroquin adeo decantatæ gentis humanitati inuſtam relinquere vellent, ab ipſa mox cæde & igne ad Urbem hanc feſtinaturis, omniaque hic ferro flammaque bona, ædes, homines deleturis, niſi Tu prohibuiſſes, ô Deus Patrum noſtrorum. Abſque hujus, & ſolius hujus præſidio, periiſſes Alma Mater! Periiſſet etiam ditiſſima illa tua Bibliotheca. Periiſſet omnis liberalium ſtudiorum rara illa ac pretioſa ſupellex tua, aut immanibus

bus cremanda flammis, aut quod Pragenſi, Heidelbergenſi, & aliis contigit, fœdiſſimis militum diripienda manibus.

Iſthoc ipſo tempore vidi egomet puer, nec ſine horrore ſacro meminiſſe poſſum, vidi hiſce oculis meis ſtudioſam Juventutem Academicam in peditum cohortem deſcribi, arma ſuſcipere, ad Religionem ac Libertatem avitam adverſus omnem vim hoſtilem fortiter defendendam parari & accingi, vireſque ipſi reddituram Urbi, ut quam armata civium Profeſſores primos in Academiam tunc introducentium pompa olim Palladi addixerat defenſionem, nunc eandem Pallas ſuiſmet præfulgens armis viciſſim Urbi præſtaret.

His præfectus erat ex ordine Profeſſorum Chriſtian. Melderus, Vir acuminis Mathematici, & animi pariter heroici, qui juxta Diſciplinæ ſuæ regulas mœnia diſponeret, arces ſtrueret, & propugnacula defenderet.

His porta Urbis, per quam Hagam, Patrum Patriæ ſedem, tenditur, Muſarum Templo proxima, ſervanda committitur, unà cum adjacentibus mœniis turribuſque, ut ſemper propinquo iſthoc Almæ Matris conſpectu excitati hoſtem ab ea arcerent intrepidi.

Quàm illi alacriter hanc provinciam ſuſceperint, quam vigiles noctu & interdiu, quam morigerantes Duci ſuo doctiſſimo, in laudem ipſorum ea ætate & dein-

deinceps, ore & ſcriptis dixit tota Civitas Leida, dixit Magiſtratus urbanus, dixit immo ex ipſa cathedra Academica, utpote ex qua audivimus ego, hic tunc ſtudiis operam navans, & multi veſtrum, Audd. politiſſimum illum Janum Groenendicium, avis Conſulibus prognatum, Themidiſque cultorem inſignem, Urbi a Secretis, Virum, in quo elegantior Literatura omnis cum prudentia civili de palma certare videbatur, hujuſque Almæ Matris fautorem eximium; illum, inquam, Groenendicium audivimus ex illo ipſo loco, melliſluum iſtud, & omnium veſtrum relectione digniſſimum decantantem *Elegiacum Carmen, conſecratum ſempiterno honori præſtantiſſimorum Virorum, qui ſtrenue, nec ſine gloria, pro conſervanda Patria, Urbe, Academia, Studioſi Lugd. Bat. bonorum gaudio militaverant, Anno* 1672. Vidimus tunc ex omnibus Patriæ noſtræ partibus Viros eximios, quorum multi adhuc ſuperſtites, nonnulli immo etiam oculis coram a me hic cernuntur, Urbis nunc ac Reipublicæ moderamen ſummo in faſtigio ſuſtinentes, juraque belli ac pacis ſtrenue & caſte tuentes; vidimus, inquam, iſtos poſt recitatum iſtud in ſuas laudes carmen, in eundem illum honorifice appellatos adſcendere ſuggeſtum alios poſt alios, ampliſſima Virorum ſplendidiſſimorum cingente panegyri. Vidimus porro eoſdem nomine Magiſtratus urbani per laudatum Actuarium debito bene meritis monumento numiſmate argenteo, in ſempi-

pi-

piternam rei memoriam, ſuique & familiæ decus immortale honorari. Qualia numiſmata coronarum civicarum inſtar inter reconditiſſimos adhuc theſauros in thecis multorum domeſticis ſollicita cura poſteris merito aſſervantur. Inſcriptum enim iis hoc carmen:

Græcia devictam jactet per Pallada Trojam,
Immenſæ ſtrueret cum modo molis equum.
Diva Minerva ſuis Leydam conſervat alumnis;
I nunc, & dubita, queis magis æqua fuit.

Nimirum, tanti ea tempeſtate, Audd. tanti faciebant Magiſtratus Leidenſis hanc Muſis noſtram dicatam ædem, civiumque Academicorum ad Urbem conſervandam promptiſſima conamina; haud ſane a Majorum ſuorum ſapientiſſima opinione degeneres. Hi enim ſeculo ante, tribus nondum ab Academiæ fundatione luſtris elapſis, cum æmuli quidam invidiâ felicitatis Urbis unà cum Academia creſcentis impulſi, fervida agitarent conſilia de ea in aliam Civitatem transferenda, palam teſtati erant coram Viris in Republica Principibus, quod idem ſentientes eorum poſteri, editis non ita pridem publice ſcriptis, iiſque exhibitis Illuſtriſſimo Conſeſſui Præpotentium Ordinum, repetere non deſtiterunt, *æſtimare ſe* ſcilicet *hanc Univerſitatem non tanquam caram modo ac pretioſam, ſed & eandem ſibi eſſe unicam, & optimam margaritam, ſeque paſſuros potius omnia ſua diripi,*

quam hac ipſâ ſeſe orbari. O Judicium præclarum, atque ſapientibus Magiſtratibus vere dignum! O amorem eximium! Faxit Deus Opt. Max. ut & Academiæ Antiſtites pari erga Urbem affectu, Urbiſque Proceres propoſiti hujus ſemper tenaces, mutua ſemper inter ſe certantes benevolentia, mutuam quoque ſalutem & honorem, ſociatis per omnia animis & operis, haud fucate quærant!

Ut autem in viam redeat mea hæc oratio, dicenda nunc mihi eſt lætiſſima Secundi Jubili, ipſo anno Academiæ Seculari, depulſis paululum teterrimi belli nebulis, in ipſa Academia celebrata feſtivitas. Aderat nempe celeberrimus ille Februarii dies octavus anni 1675. & ecce vobis advolantes undequaque omnis ordinis & gradus Viros eminentiſſimos. Omnes acroaterii majoris anguli conſtipatis Auditorum globis replentur, neque capit, quantumvis cæteroquin capax, frequentiam tantam.

In ipſa Auditorum corona adeſt ipſe Guilielmus III. Arauſionenſis, non ita pridem antea hic Academiæ civis, tunc jam Patriæ Gubernator, & avitæ benevolentiæ in hanc ædem Proavo auctore hic fundatam, uti hæres, ſic Stator atque Vindex benigniſſimus, doctorum hominum præſidium ingens decuſque. Occupat Sereniſſimus Princeps locum illum primarium, qui cathedræ proximus eſt. Conſcendit Arn. Syenus

tunc

tunc Rector ipſum ſuggeſtum. Intenti omnes ora tenebant: orſuſque Magnificus ſermonem venuſtiſſimum perorat, & in lætum tandem deſinens carmen, (quod utinam ad nos perveniſſet!) quo Principis præcipue laudes tunc decantabat, omnium cum applauſu propenſiſſimo primâ hujus Univerſitatis feſtivitate ſeculari defungitur.

Subſequitur mox Auditorum hactenus in dicentem intentiſſimorum lætiſſimum aliquod murmur, interſonante ſuaviſſimo, cum fidium multarum, tum vocum humanarum concentu Muſico, nihilque eorum, quæ ad repetendam reduplicandamque, vix menſes quatuor antea ex eodem illo loco Urbis ab obſidione Hiſpana liberatæ, feſtivitatem pariter ſecularem celebratam a Spanhemio filio, ore illo aureo, pertinere videbantur, quæque duplicis & maximi beneficii, Urbis ſcilicet ſervatæ, & Univerſitatis fundatæ, recordationem gratiſſimam exprimere apta forent, omiſſum.

Vos hic mihi appellandi Senes, vos Viri ætate nunc venerandi, qui huic olim interfuiſtis feſtivitati Juvenes, mihi citandi teſtes. Inter quos & Tu es, Illuſtriſſime Maaſdami Toparcha, Generoſo Patre tuo tunc Academiæ Curatore primo, nunc Tu Equeſtris etiam Ordinis, & hujus Legationis Patrum Patriæ, Prime, hujusque noſtri Auditorii decus auguſtiſſimum! Vos, quæſo, dicenti mihi veriſſima poſthac perhibere teſtimo-

nium, atque inter veſtros privatim hujus diei parte reliqua agitaturi gaudia, narrate, atque prædicate poſteris, quæ oculi tunc veſtri, quæ aures uſurpaverint effuſiſſimæ omnium lætitiæ ſigna ſinceriſſima: gaudii modus nullus fuit.

Ex multis hæc duo egomet tacitus præterire nolim. Poſt finitas Orationis aliaſque nonnullas hujus diei ſolemnitates, Orator & totus Senatus Academicus in ædificio Urbis publico, cui ab *Albo*, ſive ſagittis, ſive glandibus plumbeis, in adjacente campo jaculatorio, a civibus militiæ ſeſe aptantibus, peti iſthic loci ſolito, nomen eſt, lautiſſime apparato, & uti produnt Annales noſtri, Regali plane exceptus fuit convivio. Accumbebat menſæ cum primariis ex Magiſtratu urbano, ex Nobilitate Batava, ex Ordinibus, ex aula Arauſionenſi Viris, unà ipſe Princeps, & hilaris ab hiſce omnibus tranſigebatur dies. Neque hæc gaudia cum ipſo ſole occumbebant, miſſilibus varii generis ignibus in multam noctem jactatis, atque diem gaudenti nimis brevem multitudini, quantum pote, ita perpetuantibus & extendentibus.

Sed extenditur & nimium fortaſſe diu hæc Oratio mea ad hanc feſtivitatem ſecularem hactenus adhæreſcens. Reſtat enim tertia Academiæ ætas, cujus hoc die agitamus Jubilum, de qua non dixiſſe religio fuerit. De prioribus autem duabus tot eximia dicta ſunt,

ut

ut huic tertiæ nihil prorſus fore reliquum videri poſſit.

Fallimini, ſi ita judicetis, Audd. fallimini. Noſtrum quidem non eſt tempora hæc ad nos propius ſpectantia, aut propriam cauſſam noſtram magnifice extollere, multo minus ambitioſe in publico prædicare. Veruntamen neque hoc noſtrum eſt, aut eſſe debet, ut proximorum nobis Deceſſorum, quorum etiam multi ex noſtro Ordine, longe vero plures ex Veſtro numero, doctrina atque opera uſi in hunc ſapientiæ & celebritatis gradum excrevimus, præclara merita immortalitati conſecranda, turpi ſilentio contaminemus. Breviſſime tamen & res & viros eximios tangam, ne diffiſus videar memoriæ plurium ex Vobis, qui ut rebus geſtis interfuiſtis ipſi, ſic & præconia veſtra, quemadmodum confido, ſciſcitantibus haud denegabitis.

Scilicet uti infantia ſua ac juventute nunc perfunctum ad virilem gradatim ætatem cenſebatur perveniſſe hoc auguſtiſſimum bonarum artium Sacrarium, ita & maſculum hunc ſuum ſtatum ſollicite tueri conatum, eventum habuit voto ſuo haud imparem. Etenim, non ita diu poſt celebratam ſolemnitatem ſecularem, de qua modo dixi, anno inſuper ſeptuageſimo octavo bellum cum Gallis primum in lætam pacem commutante, ſtudia, ſi unquam, aut uſquam, ea certe tempeſtate hic loci floruerunt præclariſſime, Doctorum perquam eximio-

miorum famâ numeroſiſſimum Auditorum undique conciente confluxum.

Ex prioris quippe Ætatis heroibus etiamnum tunc in vivis multi, alii breviorem, alii longiorem, nonnulli plus etiam quam dimidiam hujus tertiæ, quam jam claudimus, Ætatis partem, non ceſſarunt ſtudiorum ſuorum maturis admodum fructibus hanc exornare Academiam, & recentius allectos Collegas eorumdem exemplo alacriter excitare.

Allecti autem ſunt per hanc Ætatem, & decedentibus ſuffecti Profeſſores quinque in Theologia: in Juriſprudentia tres: in Medicina novem: in Philoſophia tres: in Hiſtoriis tandem & Literis humanioribus duo: qui tantum non omnes in ſua quiſque diſciplina excelluerunt, & ſcriptis ſuis elaboratiſſimis etiamnum hodie per doctum orbem famam ſuam mori non ſinunt.

Et hi fuerunt Deceſſores noſtri. Quibus nunc quidem accenſere vellem & deberem Ampliſſimum hunc Clariſſimorum Virorum, Collegarum meorum honoratorum, quos coram videtis, Ordinem, Univerſitatis hujus lumina; quorum ſplendore ego (cujus ſi velitis nomen hiſce apponere id veſtræ erit benevolentiæ) me uſque inflammari ſentio, ad vires meas, cum ætate mea jam vergentes, quantum pote, ſuſcitandas; verum de horum laudibus atque pretio, cum voſmet ipſi, me-

rita

rita ipſorum ex ore aut ſcripti expertis, apud animos veſtros præclare ſentitis, tum verò liberius etiam, abſque ullo adulationis crimine aut metu, dicet olim, cui quartæ, quam nunc auſpicamur, Academicæ Ætatis Jubilum condere per divinam providentiam contigerit.

Sub tam prolixa tantorum Doctorum ſerie, quid miri Academiam noſtram tertia hac Ætate floruiſſe inſigniter, & abſit dicto jactantia, florere etiamnum, non pari tantum ſive celebritate Doctorum; ſive frequentia Auditorum; ſive affluxu exterorum; verbo, omnibus iis, quæ Univerſitatem omni ex parte inclytam faciunt: ſed etiam ſuperiori. Quibus & hoc accedit, quod hujus Ætatis extrema Divini Numinis favore ſingulari haud ſint conſpurcata, æque ac duarum antecedentium, aut inteſtinis Doctorum diſcordiis, aut externi hoſtis invaſione teterrima.

Atque ita quidem dedimus, Auditores omnium Ordinum ſpectatiſſimi, qualemcunque hujus Academiæ ideam. Qualemcunque, inquam. Etiamſi enim quibuſdam fortean prolixius dixiſſe videar, certiſſimum tamen eſt ſumma me tantum tetigiſſe rerum capita. Academiæ enim noſtræ laudabilia, non dicam ex diariis, ſed ex annalibus deſcribere, integræ foret hiſtoriæ opus. Si vero nihilominus cuipiam prolixitatis culpam incurriſſe videar, hanc, quæſo ille mihi non imputet, ſed ma-

teriæ fertilitati, ſed diei feſtivitati; ſed Procerum deſiderio; ſed veſtræ tandem exſpectationi, qui hunc in finem in confertiſſimam hanc ac ſplendidiſſimam omnis ordinis hominum concionem confluxuri videbamini, (neque hactenus eventus ſpem meam fefellit) ut hujus Univerſitatis principia, progreſſum, fataque illuſtriora, quanto id poſſet fieri compendio, in brevi quaſi tabella ob oculos poſita cerneretis. Feci eodem ſcopo quod potui. Si minus ſatisfeciſſe videar, id neque, quæſo, imputetis negligentiæ meæ, ſed in dicendo tenuitati, qui neque hanc provinciam affectavi, ſed ex ordine ad me Palladii hujus Regimine nunc abiturum, devolutam, ſuſcipere debui: & præeuntem inter omnes Viros eloquentiſſimos, qui ex Academica cathedra ante me, ſimili etiam Jubili feſtivitate dixerunt, habui neminem, quantum indaganti conſtitit, cujus exemplum in hac Academiæ qualicunque tabella delineanda ſequi poſſem. Sive vero ego plus, ſive minus ſatisfeciſſe videar, hoc tamen manebit Academiæ noſtræ veriſſimum elogium, ſuperiorem eam agnoſcere in Belgio nullam, parem vix ullam, ſi modo ullam.

Neque difficilis hujus gloriationis vobis videbitur demonſtratio, qui inter ſeſe volueritis, & potueritis Situm & ſedem; Doctores & Diſcentes; Auditoria & Theatra Aſtronomica, Anatomica, Chemica, Phyſica; Hortum & Bibliothecas; Collegia & Privilegia, ne plura

enu-

enumerem, hujus noſtræ & aliarum Academiarum (quibus ſingulis & ſuum debetur pretium atque honos) contendere atque comparare. De hiſce enim omnibus, & ſufficienter dicere, non orationis, ſed commentarii foret. Et de nonnullis horum & ſupra aliquid dictum fuit. Hoc mihi hic ex cordis gaudio exultantis plenitudine repetendum eſt, ornamento illo, ex quo Regum ſapientiſſimus ipſorum Regnorum cenſebat gloriam, vere hanc noſtram ſuperbire poſſe. Tam numeroſa quippe ſtudioſi populi multitudo, non ex Europa tantum, ſed & Africa, ſed & Aſia, ac remotiſſimis Indiis, ſed ex ipſa America, altero terrarum orbe, in Almæ hujus Matris ſinum perpetim confluxit.

Filiorum, quos hæc Mater ſucceſſive inde a Jac. Jaymeſio, natione Anglo, profeſſione Juridico, qui primus fuit, uſque ad tres Boſchios, fratres germanos, & Hollandos, ſucceſſive uno ante ſextiduum die Juridicos, & Godefrid. du Bois, Zelandum, qui ultimus fuit, nudiuſtertius Philoſophum ac Medicum, doctorali coronavit laurea, numerus hic tantus eſt, ut iniri difficulter queat. Fuerunt quippe anni multi, quorum ſingulis octoginta, & plura, & centum ferme Juvenum capita laureis tecta ſunt, qui plurima etiam occuparunt quaquaverſum Templa, Curias, Tribunalia, ipſas immo Academias, Scholaſque: atque adeo vel viva voce, vel per omnia ſecula ſuis ſemper victuris ſcriptis in

virtutum & ingeniorum Prytaneis loquuntur.

Nec ſolo certamus numero, verum & Auditoribus Divorum ſanguine natis. Quod Albertus & Iſabella Principes, Juſti Lipſii, qui & noſter fuit, docentis Scholam aliquando frequentare voluerint, ambitioſe prædicent Lovanienſes. Verum revocate in memoriam, quæ de Principibus Illuſtribus dicta ſunt, qui per juſta temporum ſpatia ſerio hic ſtudiis dederunt operam. Et habemus, quos addamus. Sereniſſimum magnæ Etruriæ Ducem, qui cum comitatu ſuo ſplendidiſſimo Joan. Frid. Gronovium noſtrum, Virum elegantem, ex ipſo ambone Academico de Medicææ domus laudibus dicentem audire non dedignatus eſt. Habemus Epiſcopum Londinenſem, Præſulem illuſtriſſimum, qui audivit Jac. Gronovium, Joannis Friderici Filium magnum, in adventum Regis Guilielmi III. perorantem. Habemus Electorem Saxoniæ: Sereniſſimum Daniæ & Norvegiæ Regem, Principem tum hæreditarium; ſic Bavarum, Palatinum Principes; ſummumque heroum Principem Eugenium a Sabaudia, alioſque, qui Academiam, Hortum, Theatra Anatomica, Aſtronomica, Phyſica, Bibliothecam viderunt.

Te vero effulgens & ſapientiſſime in optimis artibus, in omni humana ſcientia, Princeps, Ruſſorum omnium Imperator invictiſſime, non ſilebo. Tu aſperam in liburnica noctem in Rheno, quà limen Athenæi

no-

noſtri unda felici alluit, ante ipſas Academiæ valvas, tranſegiſti, ut necdum illuceſcente aurora, ad quintæ matutinæ punctum, Boerhaavio noſtro adeſſes, cum eo horti ſtirpes, hybernacula, caldaria, hypogea, intentiſſimo luſtrares oculo. Armarium dein ipſo in horto Academicum recenſuiſti, vulgata pervolans, ad incognita quæque, aut rariora ſubſiſtens, cuncta notans, atque, ſi quid eſſet dignum, curioſiſſime excutiens. O quam reconditæ, quam incomparabilis ſcientiæ naturalis documenta tum ſermones Tui effundebant in ſtupefactum, ſemperque inter Nos, & ubique memorantem hæc Boerhaavii animum! Bibliothecam inde, ſphæram ibi Aſtronomicam mirificam, mox inſtrumenta Phyſica, cum Clariſſimo Senguerdio ita inſpexiſti, ut ubique te adyta horum penetraſſe evidentiſſime demonſtrares: utque alibi armis, & ita hic ſapientia, Cæſarem te probares ab utriſque. Utinam, ô Imperator, utinam quanto artium & ſcientiarum lumine vaſtiſſimas imperii tui jam perfudiſti terras, tanto etiam S. Scripturæ, æternique Euangelii ſplendorem, alibi, eheu! occaſum minantis; pergas colluſtrare! Nam & hujus divini conaminis, Deo gratias! rara certe inter tantos Principes, auſpicia exhibuiſti. Hunc inter admiratores Academiæ noſtræ locum, hanc commemorationem honorificam, Audd. videbar debere tantæ Majeſtati.

Principes etiam alios celſiſſimoſque, Razevillios, Brandenburgicos, Wittebergenſes, Friſios Orientales, & plures Nobiliſſimos, eadem hæc mater caros habuit nutritios, atque ex hoc Muſarum Regno virtute & ingenio ornatiſſimos emiſit, vel in ipſorum ditiones avitas, vel in Imperatorum, Regum, Principumque aulas, ad Europam conſiliis & manu in partibus quosque ſuis prudenter ordinandam.

Quid autem præterita loquor? vel hoc ipſo tempore multos coram cerno ex quavis Europæa gente Nobiles, Barones, Comites, quales plures quam triginta uno meo hoc anno Albo Academico ceu membra inſcripſi, nonnullos cum ipſis etiam Principibus Regibuſque cognatos, atque in ſpem decuſque familiarum ſuarum ad magna quæque ſurgentes. Taceo alios quoſdam centenos Juvenes Viroſque egregios Academiæ ſplendori, Urbi emolumento futuros, in eundem a me catalogum, eodem hoc anno relatos. Sed ego, quæ clara ſunt rerum teſtimoniis, ulterius dicere non debeo.

Nec præter veritatem dixero nonnunquam contigiſſe, ut hanc unam plures aliquando ornarent diſcentes, ſi non & Doctores, quam nonnullas ſimul ſumtas. Unde & factum videtur, quod cum intra primam dimidiamque ſequentem Academiæ hujus Ætatem quatuor alibi ſuſcitata fuerint Gymnaſia, fama ſcilicet atque meritis Academiæ noſtræ tunc nondum adeo confir-

firmatis, reliqua dimidia Ætate, & hac tertia nunc elapſa, nihil tale Civitas alia tentare voluerit.

Utinam! quemadmodum nunc hujus Sapientiæ Domicilii laudibus orbis, quà late patet, fere perſtrepit univerſus, conſtet ei ſuum ſemper pretium apud bonos omnes, conſtet ſua ei majeſtas! Neque deficient ea unquam, quamdiu Academiæ huic manebit iſte Procerum favor, hicce Curatorum amor, ea Profeſſorum diligentia, & literis in tota Europa ullus honos. Quicquid enim olim vel inter Hebræos in collegiis Prophetarum, vel inter Græcos Athenis, Tarſi, Romæ, aliisve in Palæſtris literariis ubicunque terrarum celebratiſſimis tradi fuit ſolitum, in hac etiam Academia ſuos Profeſſores invenit.

Tanta etiam hic diſcentium ſub umbone privilegiorum a Fundatoribus Præpotentiſſimis donatorum eſt prærogativa, ut ſingularis utique fori Academici libertas ſua ſæpe texerit tutela Viros in Europa principes; qui hoc ſecuri munimine inſtantibus hoſtibus impares latuerunt, dulci interim animi recreatione ſapientiæ ſtudia acriter colebant, omnemque in exilio a Patria ægritudinem natam expugnabant. Ita hi bene fidam ſtationem nacti, & quaſi in portu navigantes, procellas effugerunt, donec ſereniores illuceſcerent dies. Neque ægre tulit Rudolphus inviƈtiſſimus Germanorum Imperator, neque Sereniſſimus Britannorum Rex Jacobus I.

nec nuper Ludovicus decimus quartus Rex Galliarum, ut alios taceam Principes, quod Cluverius, Brouwerius, Gondrinus, huc aliquamdiu, tanquam ad tutum confugerint aſylum.

Hæc cum ita ſint, quis non gaudeat, Audd. quis non exultet? quis Matri Almæ non applaudat? quis Jubilæum Batavæ Palladis annum non exornet omne genus hilaritatis ſignis? Deo Opt. Max. gratias primas debemus; alteras Ordinibus Hollandiæ, libere ſummam Reipublicæ tuentibus Majeſtatem; ſuas denique Curatoribus, & Urbis hujus Conſulibus, Academiam hanc Illuſtriſſimorum Ordinum nomine ſartam tectam conſervantibus. Gratias etiam debemus Profeſſoribus induſtriis, diligentibus, aſſiduis, quorum merita tantorum Patronorum favore illuſtrata Academiæ ſplendentis radios per totum circumquaque orbem diſpergunt.

Ingratus ergo Belga fuerit, qui non agnoſcat, ipſo Guilielmo Principe augurante, ex hac Academia prima aſſurgenti publicæ Libertati atque Religioni ſuppoſita fuiſſe fulcra. Ingratus Hollandus, qui hanc celebritatis Batavicæ apud exteros cauſam primariam ſinu non foveat ſuo. Ingratus civis oppidanus, qui non ſentiat ex eadem in œconomiam ſuam redundaſſe, & redundare quotannis vix æſtimanda emolumenta. Taceo nunc alia, ne honoratioribus quidem familiis pœ-

ni-

nitenda commoda. Ingratus denique civis Academicus, qui vel olim fuit, vel etiamnum eſt, qui non gaudiis gaudia, votis vota addat.

Eja, agite ergo, agite generoſa pectora, Palladii noſtri decus, amor, atque honos! Feſtivum ducite hunc diem & plaudite. Romam hoc tempore cogitant, longiſſimo etiam terrarum tractu remotam, ad Jubilum illic celebrandum exſtimulati. Vobis in hoc Academiæ Jubilo ſolida eſt atque vera exultandi jubilandique materies.

Eja ergo agite, Cives Academici; agite hilares, agite grati, agite confidentes etiam atque animoſi. Eſt enim quod Vobis, quod Academiæ noſtræ, quod mihimet denique ipſi de Vobis impenſe gratuler. Nebulae quippe denſiores, quæ antea, eheu! ſplendorem noſtrum nonnunquam obfuſcabant, quæ moleſtias Rectori, Senatui Academico & Juridico creabant tædioſiſſimas; quæ Juvenum tenerorum animos nimium, proh! ſæpe ſui negligentes, in præſentis atque futuri exitii inducebant pericula, nebulæ, inquam, iſtæ, Deo gratias ſempiternas! dudum evanuerunt. Anno, qui ſub meo Regimine præteriit, nihil auditum fuit turbarum, graſſationum, petulantiarum nihil; conſeſſus de quoquam veſtrum Juridicialis nullus; ſed omnia in tanta veſtrum frequentia tranquilla ſatis, modeſta, generoſa. Laudo nunc Vos, egregii Juvenes, coram illo Deo Vos laudo; coram his Patriæ atque Academiæ,

veſtris etiam olim futuris Patronis, Vos collaudo; coram Auditoribus hiſce omnibus, in omnes Patriæ, Europæ etiam fortaſſe partes, teſtimonium hic viſorum & auditorum relaturis, prædico ſpem noſtram de fertiliſſima ex veſtra hac juvenili ſementi intra paucos annos oritura Virorum egregiorum meſſi. Pergite, pergite, quo jam incepiſtis pede, Juvenes, macti nova virtute, macti literis elegantioribus. Studioſi Academiæ Leidenſis eſte: neque amorem, aut ſpem noſtram, amorem quoque & ſpem parentum veſtrorum, inſtauratis ſtultorum aut impiorum delitiis, contaminate aut pudefacite. Quin potius exempla date, quæ filii poſthac veſtri, quæ nepotes veſtri imitari poſſint ad quarti, poſt quinquaginta annos cum tunc victuris, & multo etiam quam hoc lætioris, Jubili celebrandam felicitatem.

Quo autem Vos ſermone alloquar, Profeſſores Celeberrimi, Collegæ plurimum honorandi! Ampliſſimum mihi ac immenſum campum aperiunt veſtræ virtutes, veſtra in rem literariam, & hanc iſtius ſedem, merita. Sed in anguſtias mihi contrahenda Oratio. Paucis ergo dicam, at multa. Univerſitatis hujus noſtræ antehac deſcriptas laudes, ut Auditores mei interpretari velint ceu de Vobis ſimul a me prædicatas, jure poſtulo meo. Abſque veſtra enim doctrina, diligentia, fama, ſcriptis, non manſiſſet priſca domus hujus gloria; non inde

in

in Urbem & Orbem, quæ ante recenſui, exuberantia commoda in hunc uſque diem, multo etiam priſcis auctiora, perduraſſent. Vobis & ego debeo, quod Magiſtratum hunc difficillimum, ſi unquam aliàs, & multis occupationibus curiſque implicitum, læto tamen tandem & felici fine deponere liceat. Vos quippe omnem ſemper mihi obſervantiam detuliſſe, fidiſſima in negotiis graviſſimis conſilia dediſſe, opem etiam manumque admoviſſe, idque feciſſe Vos ad unum omnes & unanimes, nulla unquam inter nos exorta diſcordiæ umbra vel minima; hæc enimvero gratus hic agnoſco, ac publice prædico. In primis vero Vobis & mihi gratulor quod diſcuſſis nebulis, Academiæ rebus florentibus maxime, quartam ejus Ætatem fauſtis ominibus hodie inchoemus: cujus etſi finem celebratum iri a quoquam noſtrum vix, aut ne vix quidem, ſperare liceat, alloborandum tamen nobis in ſuo cuique ſtadio, ut qualem accepimus Academiam a Deceſſoribus, talem, quin & ornatiorem, quam veſtra nunc præſtitit virtus, Succeſſoribus noſtris relinquamus, pari horum fide aſſervandam. Cujus ego meæ ſpei & admonitionis primam curam nunc Tibi, Conſultiſſime Weſtenbergi, unà cum ſupremi annui Magiſtratus faſcibus lubens meritoque trado.

Ad vos nunc tandem mea ſe convertit Oratio, liberæ Reipublicæ Batavæ Principes Illuſtriſſimi, & qui

cum illis arctiſſimo dignitatis vinculo ſociati eſtis, Vos Generoſiſſimi ac Nobiliſſimi Curatores, Vos quoque horum Collegæ Ampliſſimi Urbis Leidenſis Conſules, Patriq bono nati omnes. Bene habet & plane auſpicato, quod illuſtriſſimæ veſtræ præſentiæ favoriſque honore palam in tanta ſplendidiſſimorum hominum corona, hoc recurrente jubilæo die, Academiam veſtram, exemplo laudatiſſimo Majorum veſtrorum, cohoneſtare atque beare volueritis. VESTRAM dico ACADEMIAM. Quid enim prohibet Academiam LUGDUNO-BATAVAM vocare PRIMOGENITAM Ordinum Hollandiæ Weſtfriſiæque FILIAM, quo titulo Galliarum Reges Pariſienſem ſuam Univerſitatem appellare conſueverunt? FILIAM Vobis tantò dilectiorem, quod & PRIMOGENITA ſit, & UNICA. VESTRA ea eſt origine ſua. VESTRA conſervatione. VESTRA perpetua beneficentia: quam loquuntur certe, & loquentur hoc ipſo adhuc die publica gaudii in longinquum perſplendentia, in diſſitas etiam Urbes perſonantia ſigna. Gratias Vobis agimus, quantas poſſumus imo pectore maximas, pro præteritis beneficiis ac præſentibus. Pro futuris obnixe ſupplicamus. Liceat mihi Vos orare, Patres Patriæ, ut ſemper velitis meminiſſe ſapientiſſimi conſilii, quo Majores veſtri, laudatiſſimi ac cordatiſſimi homines, Amplitudinis hujus & Majeſtatis, qua per omnes terræ ſplendeſcitis partes, funda-

datores primi, hanc ipſam Academiam, auctore atque ſuaſore Principum perſpicaciſſimo, condiderunt, ad *Religionis* nempe *non tantum*, ſed & *Libertatis publicæ conſervationem ac fulcimentum*: ut velitis meminiſſe conſilio provido haud defuiſſe eventum exoptatiſſimum: meminiſſe denique haud alia arte Rempublicam felicius conſervari, quam qua primum conſtituta fuit. Florentibus quippe ſtudiis florebit Libertas, florebit Religio. Marceſcant illa, mementote, quæſo, temporum Reformatione anteriorum, aderit brevi pro Religione ſuperſtitio, pro libertate licentia aut tyrannis. Quod omen benigniſſimum Numen, & veſtra providentia, in ultimum ſeculi diem a nobis noſtriſque avertat nepotibus, Academia cum Republica immortalitati, quantam ferent mundi hujus tempora, ſimul conſecratis! Nos, Patriæ Patres, viciſſim publice hic ſpondemus, quod Rector ego Senatus noſtri univerſi nomine ſpondeo, nos, quod alibi terrarum vix multo labore ab Univerſitatibus extorquetur, ſponte noſtra lubentiſſime facturos, ut teneris Juvenum animis ea opinionum de Deo, de ſumma Patriæ poteſtate, de juſtitia, de aliis artibus ſcientiiſque imprimantur principia, per quæ nec Reſpublica, nec Religio, nec veſtra Majeſtas aliquid detrimenti unquam capiant.

Id verò Tu ratum eſſe jubeas, Deus ter Opt. Max. Pater Domini noſtri Jeſu Chriſti, Academiæ noſtræ Præ-

ſes Cuſtoſque a diebus Patrum noſtrorum in hodiernum uſque! Ita Numine tuo propitiante hic doceatur, ita diſcatur ſemper, ut quotannis ex fertili hoc ingeniorum ſeminario prodeant catervæ Virorum bonorum, in omnem partem Patriæ ſuæ, Eccleſiæ, Urbibus, Familiis, Civibus, aliis, ſibi denique ipſis præſidio futurorum & ornamento. Tu da Patriæ pacis, Eccleſiæ charitatis, Academiæ huic ſplendoris haud interruptum ſemper incrementum, ut diem hunc jubilæum hilarem, at caſte pieque agitemus nos, agitent poſt nati, nec prius die hoc Academiæ natali, lætum Rectores poſt me tertium peroraturos deficiat Jubilum, quam ipſe hic dies, & tempora mundi omnia æternitati ceſſerint!

D I X I.

LECTORI BENEVOLO.

Quandoquidem hac in Oratione multa occurrunt, quæ ad Hiſtoriam Academicam ſpectant, e re ſtudioſæ Juventutis noſtræ fore putavi, quod & nonnulli deſiderarunt, ſi hic illic nonnullas notas ad calcem adjicerem, in quibus Lectores meos amandarem ad Orlerſium, Meurſium, aliosque Scriptores coætaneos, & ſerioris etiam temporis, qui de rebus Univerſitatis noſtræ quædam ſcitu digna memoriæ prodiderunt, e quibus uberior ejus notitia, ſi ita cuipiam viſum, hauriri commode poſſit: quæ ut æqui bonique conſulas velim.

P. 5. *lin.* 4. *Demoſthenes.* Similia habet idem *Orat. de Republ. ordinanda*: p. 69. ad finem: *edit. Colon.* 1607.

P. 7. *lin.* 1. *Lovanium.* Vid. Juſti Lipſii *Lovanium*; ubi etiam de Academia, a quo, & quando inſtituta, & quibus ornata privilegiis & immunitatibus. Poſt Lipſium multis id quoque egit Valerius Andreas. I. C. in libro cui titulus: *Faſti Academici ſtudii generalis Lovanienſis: id eſt, origo & inſtitutio; Rectores, Cancellarius, Conſervatores, Doctores & Profeſſores; Fundatores & Benefactores, reſque aliquot memorabiles ejuſdem Univerſitatis.* Hic liber excuſus eſt Lovanii 1650. & hic rarus valde eſt: quem, qua eſt humanitate, ex nitidiſſima pariter & inſtructiſſima ſua ſupellectile libraria mecum communicavit Ampliſſ. Conr. Ruyſchius. I. C. Vir Urbis Leidenſis Conſularis.

P. 8. *lin.* 6. *Epiſtola.* Cum hujus Principis ſapientiſſimi conſilio Academia noſtra ſuos debeat natales, nefas fuerit non ipſa verba, quibus ſuum hoc conſilium noſtræ Patriæ Ordinibus perſuaſit, hic publice rememoraſſe: & utinam ea, graviſſima certe & notatu digniſſima, penitus & nunc omnium mentibus infigi poſſent: tot quippe egregiis tunc Princeps axiomatibus pium animum exprimentibus uſus eſt. Hæc autem epiſtola ex Belgico ſermone converſa ſic ſe habet. Inſcriptio erat:

Nobiliſſimis, Doctiſſimis, atque æquis & honeſtis, noſtris Dilectiſſimis, ſingularibus, Legatis Ordinibus Regionis Hollandicæ.

Princeps Arauſionenſis, Comes Naſſaviæ, Dominus Baronatus Bredæ, Dieſtæ &c.

Nobiliſſimi, Sapientiſſimi, Æqui, Dilecti, ſingulares. Quandoquidem ad firmum fulcrum

& conſervationem libertatis, nec non & boni legitimique Patriæ regiminis, non tantum in iis, quæ ad Religionem, ſed in iſtis etiam, quæ ad communem ſtatûs civilis ſalutem ſpectant, præprimis & ante omnia neceſſe ſit, ut in hiſce quoque terris, Comitatibuſque Hollandiæ aut Zelandiæ (Hæ enim ſolæ hactenus Hiſpanicæ tyrannidi arma ſua opponere fuerant auſæ) *idonea atque celebris Schola ſive Univerſitas excitetur, in quâ Juventus tùm dictorum Comitatuum, tum Brabantiæ, Flandriæ, aliarumque circumjacentium regionum & in vera Dei cognitione, & quibuscunque bonis, honeſtis & liberalibus artibus, atque ſcientiis, ad legitimum harum regionum regimen facientibus, educetur & edoceatur, rectum nobis videbatur de eâ cauſâ hanc ad Vos perſcribere epiſtolam, & unà honeſtiſſimum & doctiſſimum Magiſtrum Jacobum Sayardum, Juris Licentiatum (cui in eum finem animi noſtri intentionem ſenſumque penitius declaravimus) ad vos mittere, ut, in quantum nos juris ac officii cauſâ tenemur, reipublicæ & incolarum utilitatem ac ſalutem, quantumpote curare, ut ipſe in rebus eò ſpectantibus fideliter Vobis adſit. Inde eſt, quod ſeriò vos adhortamur ac precamur, hæc res vobis cordi ſit, & ſecundum conſilium ac opportunitatem, quæ vobis ab ante nominato Magiſtro Jacobo noſtro nomine proponetur, decernatis, & id agatis, ut in Comitatibus Hollandiæ, in divini nominis laudem ac gloriam, in Eccleſiæ ædificationem, & harum Regionum tranquillitatem, quæ nunc unanimiter per ſingularem gratiam & Dei Omnipotentis auxilium, bellum contra Tyrannidem peregrinam tamdiu geſſerunt, talis Schola excitetur ac erigatur. Et quidem antequam de pace aut induciis pangendis quid decernatur. Quoniam, niſi tale quid antea fiat, haud dubiè per communicationem & pacti actionem ceſſatio mandabitur, & ſic omnis ſpes, medium, ac occaſio in poſterum tale quid volendi, aut audendi erigere, plane decidetur ac dirimetur: qua ipſa re hæ anteà confœderatæ Regiones ita conſtitutæ erunt, ut non tantum valde incertæ ſint futuræ ac mobiles in ſua partâ libertate & bono regiminis initio, ſed & in æternum ſubjectæ quibuslibet fraudulentis molitionibus hoſtium, qui haud dubiè id agent, ut veram religionem eradicent, & omnia, quæ ad tranquillitatem incolarum prædictarum Regionum aliquo modo inſervient, irrita faciant ac aboleant. E contrario ſi vos tam ſanctam, laudabilem ac ſummè neceſſariam rem ad animum revocantes, Scholam ac Univerſitatem, ut dictum eſt, in tempore excitetis, præterquam quod hac de cauſâ imprimis Deo valde ſitis placituri, & gloriam ejus nominis magnopere celebraturi, etiam vos ſtatum Regionis hoc ipſo adeo confirmabitis, ut ejuſdem hoſtes difficulter admodum ſuam ardentem tyrannidem & oppreſſionem tam cultûs Dei, quam libertatis Regionis, ſive vi, ſive fraude valeant inſtaurare. Quoniam ejusmodi Schola & Univerſitas nil aliud erit, quam firmum propugnaculum ac conſervatio omnium Regionum harum, ut & indiſſolubile vinculum unionis earundem, non tantum inter ſeſe, ſed & cum omnibus finitimis Civitatibus: Prætereà cives ac incolæ prædictarum regionum ſic conſtringentur liberos ſuos intra patriam retinere, imo & finitimi undequaque allicientur, ut ſuos huc mittant, atque adeo juventus bene ac piè inſtruetur, pecunia in patria manebit, & parvi ſumptus qui ad hanc rem neceſſarii ſunt, copioſe compenſabuntur, & cum magno quæſtu ac fœnore in commodum Patriæ ejuſque civium redundabit. Precamur idcirco & adhortamur Vos iterum, ſeriò ad id attendatis, & omni quantum pote ſtudio & fidelitate quam primum rem ipſam executioni mandetis.*

Nobiliſſimi, Sapientiſſimi, Æqui, Dilecti, Singulares; Deus ſit vobiſcum! Scriptum Medioburgi die 28. *Septembris* 1574.

Subſcriptum: Veſter bonus Amicus: *& ſubſignatum: Guille. de Naſſau.*

& inferius:

Bandemont.

P. 8. *lin.* 11. *de pace ageretur.* Nam tunc incipiebant pacis conditiones proponi, & eum in finem Doctor *Elbertus Leoninus* ageret cum Principe, qui ad ipſum jam ſcripſerat de hoc negotio menſe *Decembri*

1574.

1574. Vid. Petr. Chriſt. Bor. *Hiſtor. Belg.* ad Annum 1575. p. 84 verſa.

Ibid. *lin.* 19. *Leida.* De his ita paucis refert Illuſt. Hugo Grotius *Hiſtor. Belg.* Lib. V. ad annum 1596. *Olim eam liberalibus ſtudiis ſedem Arauſionenſis legerat, ne metu ſumtus longinqui populus inter arma natus feritatem atque inſcitiam indueret. Præcipue movebat religio, columen partium, cujus explicando munus opifices hactenus, ante rudi plebe literarum inexcerciti ſibi ſumſerant: dum labor ipſe honorum exſpes & certus paupertatis, docentium diſcentiumque penuriam facit.*

Ibid. *lin.* 21. *Privilegiis & immunitatibus.* Hæc, uti & ſtatuta Academica, ſeorſim exſtant libro ſingulari typis edita ab Elzeviriis noſtris Ao. 1654. Nempe hæc Academia Leidenſis fere in omnibus, quod ad rerum ſummam, ad normam Lovanienſis inſtituta fuit, cujus jura recenſentur a Juſt. Lipſio, & Valer. Andrea ante laudatis.

Ibid. *lin.* 25. *Juriſdictionem privam.* vid. *Statut.* §. 39. cum ejus ampliatione. Quam magna autem hæc Academiæ Juriſdictio ſit Vir Conſultiſſimus Petr. Marcus, urbis hujus Syndicus duplici ſcripto ex auctoritate Magiſtratus Urbani Ordinibus Hollandiæ exhibito aſſeruit; altero, cui nomen eſt *Deductio*, 23. Jul. 1717. altero autem, cujus titulus eſt *Verbale*, 8. maji, 1714.

P. 9. *lin.* 20. *Janus Douſa.* De hoc Douſa recte dictum: Alter Bataviæ ſuæ Varro. Præfuit Academiæ annos 29. mortuus Ao. 1604. ætatis 54. vid. Meurſii *Athenas. Batav.* p. 88. Boxhornii *Theatr. Hollandiæ* p. 22. De eodem ſcribit illuſt. Grotius *Hiſtor.* L. 5. ad Annum 1596. *Inter primos, quos curandis regendiſque ſtudiis Ordines impoſuere, Janus Douſa fuit, cui genus geſtique honores, & toleratum Lugduni obſidium, apud Poſteros carminum gloria prementur.* Ipſum Principem repræſentabat Nobiliſſ. Baro *Gerhardus a Wyngaerden.*

P. 10. *lin.* 10. *Hora Septima.* Vid. Bor. *Hiſt. Belg. loc. cit.* p. 85. verſa.

Ibid. *lin.* 13. *Coolhaſio.* Hujus Viri exemplum, qui ejus hiſtoriam norunt, docere poteſt maximarum ſæpe rerum principia haud eſſe conſecuturis paria. vid. de eo *Alma Acad. Leid. p.* 3.

P. 10. *lin.* 23. *Æde Naeldvicena.* vid. Orlers p. 195. Ea etiamnum conſiſtit in platea, tunc *Nobili* (ab incolis olim ut plurimum Nobilibus) nunc vulgo *lata* dicta: e regione plateæ, cui a *frumento* nomen eſt, proxima ad latus dextrum ædi Ampliſſ. Franc. Kerkhemii, Viri Conſularis.

Ibid. *lin.* 24. *Annalibus prodita.* Vid. I. I. Orlers, ampliſſimi hujus urbis Conſulis *Deſcript. urbis Leidenſis* pag. 190. Edit. 1641. Meurſii *Ath. Bat.* p. 18. Boxhornii *Theatr. Holland.* p. 205. Bor. *Hiſtor. Belg.* ad annum 1575.

P. 11. *lin.* 4. *Bellis Ceſſantibus.* Inauguratio facta eſt, perorante Nic. Prunio J. C. circa initium Septemb. 1426. Lectiones verò inceptæ 2. octobr. ejuſdem anni Vid. Lipſii *Lovanium* L. 3. C. 2.

P. 12. *lin.* 3. *Hoſtimentum.* Vid. hic illuſtr. Petr. Cornelii Hoofdii, Hiſtoriographorum Belgii facile principis *Hiſtor.* L. 9. ad finem: & Illuſtr. Hug. Grotium *Hiſtor.* L. 5. ad annum 1596. *Eodem remedio civitas adverſus obſidii clades recolebatur, quæ clara fidei & conſtantiæ, oblata tributorum remiſſione, hoc præmium maluerat.*

Ibid. *lin.* 6. *Quid ſitu.* De ſitu Urbis vid. Meurſium p. 1. Hunc ſane Joannes Polyander a Kerkhoven, iſtud Academiæ noſtræ decus, omniſque ſacræ ac profanæ Literaturæ, & natalium ſplendore clarus, in vicinia Academiæ habitans, pro ocello habuit univerſi Belgii. Hujus ſimulachrum iconicum ex marmore jacet ſuper ſepulchro ipſius ſub organo Templi a D. Petro nominati, cum inſcriptione honorifica, a Filio ſuo unico Joanne, Heenvlietæ Domino, & Saltuum Hollandiæ præfecto, exſtructo.

Ibid. *lin.* 7. *Aër purus.* Ita ipſe Guiccardinus in *Deſcript. Belgii* de Leida, p. m. 44. *Cælum quoque hic longe temperatius eſt quam in cæteris Hollandiæ partibus.*

Ibid. *lin.* 8. *Meditullio Hollandiæ*. *Vid. loc. cit.* in Notis: *Situm eſt Lugdunum in medio pene cæterarum urbium: quippe Delphis tribus; Harlemo, Gauda, Roterodamo quinque; Amſtelodamo, Trajecto, ſeptem communibus milliaribus diſtat.*

Ibid. *lin.* 12. *Arx vetuſtiſſima.* Vulgo vocatur Burgus, Engiſti, ut creditur, Saxonum Ducis, ſive Friſiorum Regis, opus, jam anno 449. quando autem conditus ſit, a quibus, quæ ejus fuerint jura, Privilegia &c. de his ample agunt Orlers p. 82. compendioſius Meurſius p. 39. Boxhornius p. 233. addatur Adr. Junius Hornanus, in ſua *Batavia* p. 269. de quo Junio notandum, ſua eum doctrina eximia meruiſſe, quod alter ab Eraſmo Hollandiæ lumen diceretur. Qui inter primos hujus Academiæ Profeſſores deſtinatus ſub ejus nativitate mortuus eſt Ao. 1575. Vid. Meurſius p. 93.

Ibid. *lin.* 14. *Populi numerus.* vid. in notis: ad Guiccard. *Hæc urbs poſt Amſtelodamum omnium populoſiſſima eſt, quippe advenis e Flandria, & Arteſia, Hannoniaque, & Leodenſi agro, aliiſque, in immenſum aucta: unde & opibus in immenſum crevit.* Adeo ut huic urbi applicari in primis poſſit quod notat Illuſtr. Hugo Grotius de exulibus Brabantis & Flandris in Hollandiam diffuſis, *qui exhauſtas bello urbes vireſque in majus extulere, ingens mox fortunæ melioris auſpicium*: vid. *Annal. de Rebus Belg. L.* 5. ad annum 1585. Et magnus ille Jo. Georg. Grævius *Oratione funebri in obitum Franc. Burmanni* hæc habet p. 331. *Patriam* (Burmannus) *nactus eſt Lugdunum urbium Batavicarum, ſi Amſtelodamum exceperis, maximam & opulentiſſimam.*

Ibid. *lin.* 17. *Foſſa Corbulonis.* Ita dicta a Domitio Corbulone Belgii Præfecto, qui eam fodi curavit anno circiter ante Chriſtum natum 48. quæ foſſa a Lugduno-Batavo Delphos defertur, & inde ad vicum *Sluys* Moſæ jungitur. Vocatur vulgo Cluverio aliiſque, & adhuc hodie *de Vliet*. Vid. etiam Jac. Gronovium noſtrum in Oratione de *Incrementis Urbis Lugduni*, habita die 14. Novembr. 1696. p. 14. & *ſeqq.*

Pag. 13. *lin.* 6. *Guilielmus II &c.* Ant. Matthæus noſter *Analect. Vet. Ævi Tom.* 6. p. 3. verba faciens de Eccleſia S. Petri in Urbe Leidenſi hæc ſcribit: *In ea baptizatus eſt Wilhelmus Romanorum Rex; qui & Leidæ olim natus: Io. a Leidis Lib.* 23. *Cap.* 1. Hic Guilielmus natus eſt circiter annum 1227. Vid. Orlers p. 283. & 293. Florentius vero circiter annum 1255. Vid. *Ibid.* p. 225. Iſte Guilielmus Comes xv. Hollandiæ &c. juxta Orlers: ſed juxta Petr. Scriverium xviii. Vid. hujus *Batav. Antiq.* p. m. 198. & ejus *Deſcript. Comitatus Hollandiæ* p. 195. 219. 222. &c. & Meurſium p. 66. Hadr. Barlandi *Hollandiæ Comitum Hiſtor.* p. 36. & 40.

Ibid. *lin.* 11. *Phil. de Leidis.* Floruit ſub Guilielmo Bavaro, Comite Hollandiæ xxv. qui Juris Doctor creatus in Academia Pariſienſi ibi primo fuit Profeſſor Decretorum; & inde in patriam reverſus dicto Comiti fuit a conſiliis. Præter dignitates multas Politicas etiam Eccleſiaſticis functus eſt, Canonicus Ultrajecti, Leidæ, & Hagæ: mox vicarius Epiſcopi Ultrajectini. Inſtructiſſimam Bibliothecam legavit Urbi. Opera ejus Joan. Hautenus, Urbi huic a Secretis, dedicavit Bibliothecæ publicæ, cum politiſſima inſcriptione, quæ adhuc exſtat. Mortuus eſt anno 1380. Vid. de eo, & de reliquis hic recenſitis, & pluribus inſuper aliis, Orlers p. 333—378. Meurſium p. 72. & *ſeqq.* Boxhornium p. 210. &c.

P. 14. *lin.* 2. *Ædes ipſa.* Prima exercitia Academica habita ſunt in Monaſterio a S. Barbara dicto, in foſſa vulgo *Rapenburg*, prope ad finem *plateæ latæ*, ubi deinceps fuit aula Principis, & nunc ædes privatæ magnificæ. Vid. Orlers p. 116. & 183. Non ita diu poſt Academia tranſlata fuit huc loci, quo hucuſque conſiſtit, ubi fuerat ante Monaſterium Monialium Albarum, ut vocantur. Subito incendio conflagravit An-

no

no 1616. Adſcribam inſcriptionem in lapide Lydio, quæ rem omnem complectitur, & exſtat adhuc in hodiernum diem in frontiſpicio introitus interioris ſupra fores:

MEMORIÆ POSTERITATIS.
ÆDEM ISTAM IN QVAM ANNO CIↃ. IↃ. LXXXI. CVRATORES ACADEMIÆ ET COSS. HVJVS VRBIS PVBLICAS ACROASES TRANSFERRI VOLVERVNT, QVAMQVE VERÆ SAPIENTIÆ ET LIBERALIBVS DOCENTIVM ATQVE DISCENTIVM EXERCITIIS, ATQVE HONORIBVS DEDICARVNT, POSTQVAM EXORTA REPENTE FLAMMÆ VIOLENTIA III. EID. NOVEMBRIS ANNO CIↃ. IↃC. XVI. TECTVM EJVS TRABES CATHEDRAS SVBSELLIAQVE FOEDE ABSVMPSISSET, EAM EX DECRETO ILL. AC PRÆPOT. HOLLANDIÆ ET WESTFRISIÆ ORDINVM IN HVNC MODVM MAGNIFICE RESTAVRATAM PVBLICIS DIVINARVM ATQVE HVMANARVM RERVM DISCIPLINIS CONSECRARVNT.
ADRIAN. A MATENES DOMINVS IN MATENES OPMEER &c. CORN. VANDER MYLE DOMINVS IN DVBBELDAM &c. ACADEMIÆ CVRATORES

FR. CORN. TOORNVLIETIVS
LAVRENT. HVG. GAALIVS
PETRVS ARNOLDVS DEYMANMVS
THEODORVS GER. HOGEVENIVS
} CONSVLES REIP. LVGDVNO BATAVÆ.

ANNO CIↃ. IↃC. XVIII.
KAL. JVNII.

Pag. 14. *lin.* 10 *Specula Aſtronomica.* Singulare huic Theatro eſt, ut hic certe, ſi ullibi, ſerventur omne genus inſtrumenta, non tantum exactiſſima, a peritiſſimis artificibus elaborata, verum quibus commodiſſime etiam obſervationes inſtituuntur tempore quovis opportuno a Cel. 's Graveſande noſtro, ingenti præſente ſpectatorum frequentia.

P. 14. *lin.* 19. *Turris cuſpide.* De hac, & tota hac æde vide Orlers p. 116.

Ibid. *lin.* 22. *Lingua Belgica.* Ita viſum Sereniſſimo Principi Mauritio Arauſionenſi, ut in commodum eorum, qui Latine non callerent, hic ſermone vernaculo traderetur Arithmetica, Geometria, ars condendi propugnacula, mœnia, & quidquid cum his cognationem habet. Hoc inceptum anno 1599. Primus Profeſſor fuit Lud. Colonius; alter Sim. Franc. a Merwen I. C. qui & hujus urbis Scabinus & Conſul fuit. Vid. Orlers p. 117. & 188. Hos ſecuti ſunt deinceps Franc. Schotanus, Pater & Filius, uti & Pet. Schotanus, hujus frater. Hodie hanc provinciam obit Henr. Coetſius ſub titulo Lectoris, inde ab anno 1701.

Ibid. *lin.* 23. *Amphitheatro Anatomico.* Hoc theatrum ingentibus ſumptibus eſt exſtructum anno 1597. In quo corporum diſſectio, non modo exercetur quotannis publice a manu exercitiſſima Cel. Albini; ſed etiam aſſervantur rariſſima quæque ad naturalem hiſtoriam ſpectantia ex longinquiſſimis regionibus huc tranſportata, & horum nonnulla huic loco donata a Viris eximiis. Hic invenies ſceleta & oſſa varia hominum, quadrupedum, volucrium, piſcium diverſorum: mumias integras: partes earum, cum cippis, in quibus reconditæ erant. Mineralia item præſtantiſſima, & alia rariora, quæ curioſum ſpectatoris undique confluentis oculum mire paſcunt. Vid. De hiſce Orlers p. 208. Meurſium p. 34. Iſtarum rerum memorabilium omnium etiam Catalogus exſtat. Sunt & hic artificioſa inſtrumenta Chirurgica Doct. a Solingen. Inter Anatomica principem locum tenent Jo. Jac. Ravii noſtri præparata,

rata, quæ huic Anatomiæ ſuprema voluntate legavit, Anno 1719. cum inſtrumentis Anatomicis curioſiſſimis. Horum Catalogum propediem emittet Cl. Albinus, ſub titulo *Indicis legati Anatomici Raviani*, vel ſimili quodam.

Pag. 15. *lin.* 2. *Bibliothecam Publicam.* Hæc ampliſſima & luciditſſima libris in omni facultate & linguis refertiſſima eſt. Hujus primum fundamentum jecit Jo. Holmannus, qui ad Theologicam profeſſionem ordinariam huc vocatus Anno 1581. hic mortuus eſt, Anno 1586. Vir eruditionis ac virtutis laude omnigena clarus, & in ſumma exiſtimatione apud omnes, & quem parentis loco colebant ſtudioſi: *Scripta quidem nulla edidit*, (vid. *Academ. Leidenſ. pag.* ad ****) *ſed plurima reliquit, quæ cum inſtructiſſima ejus Bibliotheca publicè aſſervantur. Nam moriens Academiæ totam Bibliothecam legavit primum fundamentum & exordium Bibliothecæ Leidenſis.* Hæc Bibliotheca temporis tractu immenſum adaucta eſt, adaugeturque quotidie non ſolum donationibus magnorum illuſtriumque Virorum, non modo Corn. vander Mijle, Hier. Beverningii, Henr. Bleisvici, Academiæ Curatorum; ſed & ipſorum Principum Arauſionenſium; immo & legatis Eruditorum, (de quibus mox) quorum nomina typis deſcripta in tabulis in ſempiternam memoriam ſervantur; ſed & munificentia Curatorum, quin immo ſollicita quoque Illuſtriſſ. Ordinum Hollandiæ cura, qui nullum Privilegium, ſeu Diploma, ad librum quendam in ſua Regione typis edendum concedunt, niſi hac ſub conditione, ut exemplar ejus nitide compactum in hanc Bibliothecam deferatur. Conſpiciuntur hic effigies plurimæ, cum quinque Sereniſſimorum Principum Arauſionenſium, tum aliorum Virorum Illuſtrium, Profeſſorumque. Hujus Bibliothecæ publicæ catalogus pulchre editus eſt in Folio, ut vocant, Anno 1716. ubi & effigies recenſentur pag. 500. Bibliothecarius primus fuit Janus Douſa, Academiæ pariter Curator primus (de quo vide ad pag. ....) quem excepit ipſius filius ejuſdem nominis. Deinceps conſtituti ſunt ex ordine Profeſſorum Paul. Merula: Dan. Heinſius: Anton. Thyſius, junior: Jo. Frid. Gronovius: Frid. Spanhemius F. Wolpherdus Senguerdius: & qui nunc temporis hoc munere fungitur, Petr. Burmannus. Vid. Orlers pag. 211. *Academ. Leid.* pag. 228. Meurſium pag. 36.

Ibid. *lin.* 3. *Legatis.* Quæ armariis ſeorſim incluſa, cum inſignibus inſcriptionibus aſſervantur ſingula in ſempiternam memoriam.

Ibid. *lin.* 4. *Holmannianis.* De J. Holmanno jam ſupra *col.* a. Vid. & *Catalog.* p. 8, 9, 10, 11, 14, 24.

Ibid. *Scaligeranis.* Joſephus Juſtus Scaliger Julii Cæſaris a Burden Filius, Principum Veronenſium Nepos, qui Eruditorum vulgo habetur Princeps, huc venit Curatorum vocatione Anno 1593. & per annos 16. nominis ſui fama ſcriptisque hanc Academiam illuſtravit. Obiit ex hydrope Anno 1609. ætatis ſuæ 69. & ſepultus in Templo S. Mariæ, nunc Wallonico, ad cujus ſepulchrum ipſi Academiæ Curatores inſigne memoriale erexerunt cum inſcriptione honorifica: Vid. Meurſium p. 168 — 171. Orlers p. 212. Dominic. Baudii *Orat. Parent.* p. m. 599. — 612. Dan. Heinſii *Orat.* p. 45. — 66. Boxhornii *Theatr. Holl.* p. 218. In eo exſtincta Familia illuſtriſſima Scaligerana, non fama. Et de gente Scaligerana ipſe hic Joſephus ſcripſit. Vide hujus inter Epiſtolas eam, quam ad Janum Douſam ſcripſit p. 1. Scaligeri encomia per Iſaac. Caſaubonum, Vid. *ibid.* Callebat 14. linguas. De ejus libris excuſis Academiæ legatis, vid. *Catalogum* p. 310. Manuſcriptis vero p. 339—409.

Ibid. *Vulcanianis.* Bonaventura Vulcanius, per longum etiam tempus Senatui Academico ab Actis, hic docuit per annos 32. Mortuus eſt Anno 1615. Ætatis 77. Vid. Meurſium p. 103. De libris manuſcriptis legatis vid. *Catalog.* p. 343. 404.

Ibid. *Warnerianis.* Orientales præcipue codices manuſcriptos, & Arabes præprimis, in-

ingenti numero, unà cum harum linguarum cognitione exactiſſima, comparaverat Vir eruditiſſimus & ſpectatiſſimis Livinus Warnerus, qui per multos annos Conſtantinopoli publico Præpotentium Ordinum Generalium nomine & auctoritate res Patriæ noſtræ curaverat. Vid. *Catal.* p. 313. 405. 409. & quidem a numero 269. ad 498. a p. 419. ad p. 458.

Ibid. *lin.* 5. *Perizonianis.* Hic Hiſtoriarum, Græcæ Linguæ, ac Eloquentiæ, nec non Hiſtoriæ Batavæ Profeſſor ab Anno 1693. ad 1715. quando vivere deſiit 6. Aprilis, Codices excuſos vetuſtæ editionis, & Manuſcriptos rariores legavit, vid. *Catalog.* p. 492. 494. qui in ſingulari theca cum ejus effigie ſupra eam aſſervantur. Ei parentavit Clar. Ant. Schultingius noſter J. C.

Ibid. *Aliis.* Ex. Gr. Zevecotii, Oleandri &c. In primis etiam manuſcriptis Latinis, ab Illuſtriſſimo Chriſt. Hugenio, Zelemi Toparcha, Academiæ legatis, præcipue ad Mathematicam ſpectantibus. Eorum index exhibetur in *Catalogo* pag. 351. & *ſeqq.*

Ibid. *lin.* 6. *Orientalibus.* Chaldæis nempe, Hebræis, & Arabicis præcipue quibuscunque, quorum magnum theſaurum multis ſumtibus, & auctoritate publica ex Oriente etiam advexit Jac. Golius, harum linguarum & in hac Academia, & in toto Belgio illuſtre quondam ſydus: vid. *Catalog.* a pag. 409. ad 417.

Ibid. *lin.* 8. *Prima.* Adeo ut ex omni eruditi orbis plaga huc alliciantur Viri literatiſſimi, qui per totas ſeptimanas menſesque ſudent in hiſce codicibus legendis, conferendis, deſcribendis. Hæc porro Bibliotheca ſtatis etiam temporibus unius cujuſque uſui ad ſatietatem uſque patet.

Ibid. *lin.* 9. *Voſſianæ.* Iſaaci Voſſii ſcil. magni Gerhardi Joannis, qui & in hac Academia docuit, ejusque clarum exſtitit ſydus, magni Filii, cujus ſcripta etiam eruditorum manibus teruntur. Qui in Anglia mortuus inſtructiſſimam a longo tempore & multis ſumtibus collegerat Bibliothecam, in qua rariſſimi & vetuſtiſſimi etiam Codices M. S. S. in omni lingua exſtabant, inter quos eminent celebratiſſimus ille Pentateuchus Moſaicus, Flavius Joſephus, Herbarius vivus, 5. voluminibus conſtans, rariſſimus & quantivis pretii. Quam Bibliothecam conſentientibus Illuſtriſſimis Hollandiæ ac Weſt-Friſiæ Ordinibus ingenti pecuniæ vi triginta & tribus florenorum millibus, in uſum Academiæ compararunt Nobiliſſimi Curatores Urbisque Conſules 31. Aug. Anno 1690. De libris MSS. vid. *Catalog.* a pag. 358. ad 404.

Ibid. *lin.* 11. *Sphæra Aſtronomica.* Hanc Sphæram Copernicanam ingenioſiſſime & artificioſſime concinnatam Vidua & Hæredes D. Sebaſt. Schepers, Senatoris Rotterdam. publico deſtinarunt Anno 1711. Hujus ſimilis vix alia exſtat, niſi in ſola Regis Galliarum potentiſſimi ſupellectile mechanica. Hæc in Bibliotheca concinne collocatur, ut quæ rerum naturalium ruſpatores in libris ſcrutandis reperiunt de cœlo terraque, de ſtellarum ſitu Planetarumque motu ſingulari, atque de univerſa natura ejuſque legibus, hac in machina excellentiſſima ipſi ſimul oculorum conſpectui palam exhibeantur. Ejus figura exſtat in *Catal. Biblioth. p.* 499. & ad margines tabulæ ejus datur quoque ampla deſcriptio. Pauca hæc habeat Lector.

Sphæra Copernicana, quæ in Bibliotheca ſervatur, Diametrum habet quinque pedum, in hac motus plerique ſyſtematis Planetarii pulcherrime exhibentur.

Sol medium locum occupat, & quieſcit: hunc circumferuntur Planetæ primarii ſex, Mercurius, Venus, Tellus, Mars, Jupiter, & Saturnus, ad diſtantias a ſolis centro, quæ proportione veras imitantur, exceptâ Saturni diſtantiâ, quæ contrahitur, ne inutiliter Sphæræ moles augeatur.

Planetæ hi in motibus ſuis veros motus pulcherrimo artificio æmulantur; orbitarum inclinationes, excentricitates, accelerationem in Periheliis, & in Apheliis retardationem demonſtrant, veramque cœli conſtitutionem ſin-

ſingulis momentis ante oculos ponunt. Tellus circa axem rotatur, & hanc comitatur Luna, cujus Apſidum & Nodorum motus, in hac machina, non negliguntur.

Jovis etiam Satellites quatuor primarium ſuum circumrotantur, ſervatis revolutionum temporibus, & diſtantiarum proportionibus; non autem harum cum primariorum diſtantiis vera proportio obſervari potuit: quod & ad Lunæ à Tellure diſtantiam referri debet, ut & ad rationem magnitudinum corporum ſyſtema componentium.

Reliqua quæ ſimpliciter ad ornatum ſpectant hic non memorantur.

Ibid. *lin.* 13. *Thyſiana.* Hic fuit Joannes Thyſius a Keinogen, ex nobiliſſima Keinogiorum familia in Brabantia. Ejus Patruus Antonius Thyſius P. hic Theologiam Profeſſus eſt, hujusque filius Antonius Eloquentiam, & dein Jurisprudentiam, cum quo Joannes noſter Patruelis fuit, legavitque 23. Sept. 1653. Teſtamenti tabulis inſignem Bibliothecam; cujus Catalogus typis exſtat, in uſum Academiæ, quæque aſſervatur in peculiari æde eum in finem pulcherrime exſtructa Anno 1655. & inhabitata ab ejus Bibliothecario; cujus cura omnis demandata fuit Illuſtriſſ. Baroni de Tour, ex conſanguineis proximis. Patet diebus horisque ſtatutis hæc ſupellex libraria cuivis intrare cupienti.

Ibid. *lin.* 17. *Collegium Theologicum.* Primò erectum fuit Collegium, in quo ſumtibus publicis nonnulli inſtituerentur Juvenes in uſum Eccleſiarum Scholarumque in quavis facultate, quod jam incipiebat mox ferme poſt Academiæ fundationem Anno 1577. Hi vocabantur *alumni*, etiam *ſtipendiati.* Ejus autem loco Illuſtriſſ. Ordines Hollandiæ Weſtfriſiæque Collegium Theologicum excitarunt in eorum gratiam, qui Theologiæ Sacris imbuerentur, adaptato in hunc uſum monaſterio Fratrum Cellariorum, ut vocantur: quod unum hac in Urbe fuit monaſterium virile, cætera, & ſat multa, muliebria, vid. Meurſ. *pag.* 8. In hoc Collegio Regens, Pro-Regens & OEconomus ſuas habent ædes ſinguli commodas amplasque. In quo ſingulis Studioſis ſua itidem ſunt exſtructa cubicula, & Muſæum, ſeu Auditorium ſatis capax, informandæ Juventuti adaptatum, in quo Lectiones, Diſputationes, cæteræque habentur exercitationes. In hujus Collegii uſum etiam eſt Bibliotheca ſingularis libris maxime neceſſariis, & Patrum ſcriptis refertiſſima. Huc mittuntur ab Illuſtriſſ. Ordinibus non indigenæ modo, ſed & exteri, Hungari, Poloni, Lithuani, Sileſii, alii, qui inſtruuntur a Pro-Regente in omnibus ſtudiis pro-paideuticis: a Regente in Theologicis, habentque acceſſum pariter ad omnes Profeſſorum Scholas, qua publicas, qua privatas. Ejus inauguratio facta fuit multa cum pompa 6. Octob. Anni 1592. quam pluribus deſcribit Orlerſius p. 218. & Meurſius p. 37. Poſt inaugurationem habitum convivium hilare, ad quod invitati erant Regens Cuchlinus, Curatores Academiæ, Rector & omnes Profeſſores Ordinarii & Extraordinarii, Prætor, Conſules, & Scabini hujus urbis, & verbi Divini Miniſtri. Regentes fuere Jo. Cuchlinus; Jerem. Baſtingius: Petr. Bertius: Ger. Joh. Voſſius: Feſtus Hommius: Jac. Revius: Petr. Cabeljavius: Ant. Hulſius: Marc. van Es: Herm. Witzius: Petr. Holbeeckus: & nunc Rob. Æmylius. Subregentes verò Petr. Bertius: Juſt. Bulæus: Caſp. Barlæus: Dan. Sinapius: Dan. Dammius: Adr. Heereboord: Mart. Ubbenius: Franc. Burmannus: Godefr. Spinæus: Theod. Craanen: Ger. de Vries: Wilh. Wilhelmius: Marc. van Es: Petr. Holbeeckus: Rob. Æmylius: Jo. a Rouveroy: & qui nunc fungitur Dav. Knibbe. Hujus Collegii leges & ſtatuta publice typis exſtant ſingulari volumine. Ad hoc exemplum Miniſtri Eccleſiarum Walonicarum per Provincias fœderatas, adjuti liberalitate Mercatorum aliquot, aliud etiam fundarunt Collegium, quod Wallonicum, vel etiam Gallicum vocatum eſt, ſubvenientibus ſumtuum defectibus ſua munificentia Pa-

triæ Ordinibus: Ad quod magis juvandum legavit Vir præclarus Ant. Haletus Florenorum octo quadraginta millia. De quo & infra dicam. Vid. Orlers p. 238. Meurſius p. 38. Inauguratio facta eſt 30. Maji 1606. Regentes ejus fuerunt Dan. Colonius: Lud. de Dieu: Dan. Maſeyſius: Jac. Gaillardus: Petr. de Villemandi.

Pag. 15. *lin.* 23. *Tot numero. Ipſi alumni, ut triginta unus eſſent, primo placuit: ſed deinde varie auctus ille numerus, ita ut nunc ſexaginta habeantur*: ſcribit Meurſius de ſuo tempore p. 38. immo & poſtea iſte numerus adauctus eſt, ut longe plures ſæpe exſtiterint, uti conſtat ex *Actis* iſtius Collegii: adeo ut Academiæ ſpeciem præferat minoris. Hic notandum quoque ex munificentia D. D. Ordinum ſingulos Eccleſiarum in noſtra Hollandia Miniſtrorum filios hac in Academia ſtudiis operam navantes quotannis donari honorario ſexaginta florenorum noſtratium ex Ærario Eccleſiaſtico publico, qui ex teſtimonio Actuarii Senatus Academici erogantur.

P. 16 *lin.* 2 *Haletos*. Hujus jam & modo mentionem feci, qui legavit octo ſupra quadraginta mille florenos, mortuus Anno 1613. Hæc ſumma jam excrevit ultra ſexaginta mille.

Ibid. *lin.* 3. *Nuytzios.* Hic (pronomine David) legavit 16. Auguſti Anno 1613. duodecim mille florenos.

Ibid. *Broekhovios.* Jac. a Broekhoven, hujus urbis quondam Conſul, ſex mille conſtituit florenos Anno 1631.

Ibid. *Bockelmannos.* Hic Jurisprudentiæ Profeſſor inde ab Anno 1671. & mortuus 23. Oct. 1681. legavit quinque millia florenorum.

Ibid. *Perizonios.* Et hujus legatum Librarium ante recenſui. Conſtituit inſuper viginti mille florenos: mortuus Anno 1715.

Ibid *lin.* 4. *Zeos.* Samuel de Zee, Lugduno-Batavus, eluctatus fortunæ adverſæ bella, qui toties trans mare cucurrerat, toties utraſque penetraverat in Indias, diligentia, parſimonia, virtute, paratos benignioris fortunæ fructus pietati conſecravit, decies millenos legavit florenos. Idem ſcilicet ille, qui pauperum, ſed virtutem colentium, conſanguineorum ſaluti, & ædem conſtruxit hac in urbe, largeque dotavit. Mortuus eſt Lugd. Batav. Anno 1724.

Hi omnes, & quos plures non recenſeo, Muſis dediti Viri noviſſima voluntate ordinarunt, ut ex horum nummorum fœneri elocatorum ſumma nonnulli Juvenes ad ſtudia promovenda ſuſtentarentur. Horum legatorum curam mandarunt Haletus quidem quinque Viris conſpicuis, & Conſanguineis ſuis, qui nunc temporis ſunt Ampliſſimi Petr. Cunæus J. C. Vir Conſularis, magni Petr. Cunæi noſtri nepos, & nunc hujus urbis nomine legatus ad Collegium Archithalaſſicum quod Amſtelædami eſt. Henr. a Willigen, J. C. cum maxime Conſul. Jo. a Panhuyſen, Dominus in Stockum, Exſcabinus & Senator, nuper Prætor. Guil. vander Meulen, Toparcha in Oud-Broekhuyſen &c. ſupremæ Curiæ populi Ultrajectini adſcriptus Senator. Jo. Frid. Mamuchet ab Houdringen, Junior, J. C. Eccleſiæ Cathedralis, quæ eſt S. Martinii, etiam D. Petri Ultrajectenſis Canonicus, &c. Horum Quæſtor & Actuarius eſt Theod. Thoornvliet, itidem ex Teſtatoris conſanguineis, cauſarum Procurator coram tribunali Leidenſi. Alumnorum vero inſpector, qui eorum ſtudia moderatur, eſt Vener. Robert. Æmylius, Eccleſiæ Leidenſis Paſtor, & Collegii publici Regens. Nuytzii vero legati curam habent & Conſanguinei, D. Nic. Warin, Sereniſſimi Regis Boruſſiæ negotia agens Amſtelædami; & D. Guilielm. Crucius J. C. ærarii publici Quæſtor, magni Heidani noſtri abnepos, & D. Caroli Crucii J. C. Viri Conſularis, & Senatoria dignitate & ætate antiquiſſimi, nunc Collegio Nobiliſſ. D. D. Legatorum Hollandiæ adſcripti filius Jac. Broekhovius porro ſuæ voluntati ſupremæ executores ſtatuit Ampliſſ. hujus Urbis Conſules, quibus, unà cum Profeſſore Theologiæ, & Collegii Ordinum Regente, commiſit collationem. Sam. vero de Zee omnem hanc curam & electionem

onem juvenum demandavit Theologiæ Profeſſoribus ſolis. Hi omnes legatorum reditus aſſignarunt iis, qui ad ſacra publica obeunda ſe pararent. Bockelmannus vero & Perizonius iis, qui Juriſprudentiæ vel Literis humanioribus ſe applicarent. Qui duo poſteriores conſtituunt Rectorem & Senatum Academicum inſpectores, cui Rectori & aſſeſſoribus ejus quotannis dari debent rationes accepti & expenſi.

Ibid. *lin.* 9. *Typographiæ officina.* Quæ adeo celebris undequaque in Republica literaria exſtitit typis Plantinianis, Raphelengianis, Elzevirianis, olim: nunc vero Petr. vander Aa, Viri ſolertiſſimi, qui vel ſic de bonis literis quaquaverſum meriti ſunt, & indies merentur.

Ibid. *lin.* 10. *Hortum Botanicum.* Ille jam non diu poſt Academiæ inaugurationem ortum ſuum habuit, ſub auſpiciis Dider. Outgerſi Clutii, qui primus eum in ordinem redegit. Primus autem qui rem herbariam in eo docuit videtur fuiſſe Gerardus Bontius, jam Anno 1587. quem excepit Carolus Cluſius celebratiſſimus ille Herbarius. Deinceps Ælius Everhardus Vorſtius: Adolph Vorſtius: Flor. Schulius: Arn. Syenus: Paulus Hermannus: Petr. Hottonus, & qui nunc fungitur Hermannus Boerhaavius. Vid. Orlers p. 202. Meurſii *Athen. Bat.* p. 31. qui ejus deſcriptionem tradunt ſatis amplam, prout tunc temporis ſe habebat. Hujus pomœria bis terque ſunt prolata, & plantæ immenſum adauctæ. Quomodo nunc ſe habeat, Lector percipiat ex ipſo Boerhaavio noſtro, qui craſſo volumine in quarto, ut vocant, conſcripſit *Indicem plantarum, quæ in horto Academico aluntur Lugd. Bat.* 1720. Hujus lubet apponere verba in *Dedicatione* ad Nobiliſſ. & Ampliſſ. Curatores Conſulesque: *Publice fas ſit mihi dicere nullum in toto terrarum orbe coli Hortum qui hunc veſtrum ſuperet, ſeu quis numerum putaverit ſtirpium, aut ſingularem plurium pulchretudinem, ſive concinnitatem ordinis conſideret, unde utilitas ſanè uberrima dimanat. Mirabuntur, ſcio, qui hæc legere non faſtidiunt, tam exiguo parvi Horti agello tot arctari Plantas. Res tamen ipſa ſe ita habet. Sed & facit interim hæc penuria ſoli curæ mihi magnitudinem profecto & anniverſarii laboris ſemper integrationem. Si auderem igitur, unum orarem, quando ter jam fundum a condito Horto protuliſtis ad mœnia denique urbana extendere eum ut velitis: Caperet ita pulchrius, liberiusque aleret, herbas, daret locum ſpecioſis adhuc pluribus conſerendis, quas promittere auſim, poſtremo decori Academiæ atque Republicæ inſignius reſponderet.* Uti & nuper deliberatum ſerio de hoc propoſito, ſi fieri poſſit, executioni mandando: quod utique quantocius fiat!

P. 16. *lin.* 22. *Armario.* Ejus catalogus publice exſtat.

P. 17. *lin.* 6. *Vulcani ardentis.* In hac Celeb. Boerhavius noſter, tantus artifex, ſua inſtituit experimenta.

Ibid. *lin.* 22. *Juſtinianus Imperator.* Vid. *Novell.* 146. & in *h. Nov.* Conrad. Rittershuſii *Jur. Juſtinian. Part.* 1. C. 1. p. 45.

P. 18. *lin.* 12. *Irritæ.* Abſit ut Ethnicorum ſuperſtitione vanâ ducantur Chriſtiani: adſcribi tamen nonnullis digna videntur verba elegantis Petr. Cunæi noſtri, qui Oratione ſua in Natalem I. hujus Academiæ jubilæum hæc habet, ſermonem faciens de prima ejus inauguratione die 8. Februarii, Anno 1575. *Ceſſare tunc*, inquit, *hyemis inclementia cœperat, & jam altius Sol aſcendebat ſub primi veris initia. Omnia rerum omnium (ſi obſerventur) indicia eſſe antiquitas exiſtimavit, ac prædictiones præſenſionesque futurorum ex inopinato capeſſi. Traditum literarum monumentis ab iis fuit, quibus annotare ſingula cura erat, hoc ipſo die, nimirum octavo hujus menſis; interea dum ſtudiorum honores primitiæque in hanc urbem inferebantur, ingenii omnium admiratione diu ante conſuetum tempus advectam ciconiam eſſe; quæ profecto avis & olim & hodie, conſentientibus mortalium judiciis, lætum facere auſpicium, ac rerum eſſe optimarum nuncia credita eſt. Enimvero huic divinationi quam ſunt omnia conſimilia, quæ mox deinde ab illo tempore ad hunc uſque*

uſque diem conſecuta ſunt? Quam fauſto proſperoque ſucceſſu deinceps, inter media ſemper arma, non aliter quam rebus omnibus compoſitis artes diſciplinæque magnis auctæ incrementis, ac in illud erectæ culmen ſunt, in quo nunc conſiſtunt?

P. 19. *lin.* 15. *Annos ætatis ſedecim.* Natus quippe eſt Dillenburgii, ex Anna Mauritii Electoris Saxoniæ filia, 13. Novemb. 1567.

Ibid. *Epiſtola.* Ea autem ita habet:

S. P.

Filium meum Mauricium, Viri clariſſimi ac doctiſſimi, Leidam mitto, ut iſtic majores in bonis literis faciat progreſſus, & moribus ad me aliquando, ita Deo bene volente, redeat ornatior. Quoniam autem veſtro partim exemplo, & partim cura diligentiaque veſtra illud me conſequi poſſe ſpero, omittere non potui, quin meis ad vos literis illum commendarem, a vobisque peterem, ut quantum ad eum bene informandum, cùm bonis literis, tum præclaris moribus conferre poteſtis, tantum velitis impendere, quo iis rebus veſtra opera inſtructus, quæ ſunt neceſſariæ, aliquando Reip. univerſæ inſervire poſſit magno totius Reipub. præſertim Hollandiæ bono, & cum aliqua nominis dignitate. Etſi autem non ignorabam quantum in me meosque ſitis propenſi, mei tamen eſſe officii putavi, id a vobis efflagitare quod eratis mihi ultro conceſſuri. Quod vero ex me ſæpius audiviſtis, id vobis perſuaſum eſſe cupio, Academiam vosque ipſos mihi eſſe commendatiſſimos, atque id quidem vel ex eo intelligere poteſtis, quod iſtuc hiſce de cauſis filium meum miſerim. A Deo peto, Viri clariſſimi ac doctiſſimi, ut vobis, univerſæque Academiæ velit benedicere. Valete XV. Julii Vliſſingæ, A°. M. D. LXXXII.

Vobis amicitia ſingulari addictus

GUILIELMUS A NASSAU.

Inſcriptio erat:

Clariſſ. & Doctiſſimis Viris,
Rectori ac cæteris Academiæ Leydenſis Profeſſorib.

P. 20. *lin.* 3. *Delfis.* Per Balthaſarem Gerhardi Anno 1584. 10. Julii.

Ibid. *lin.* 5. *In Epiſtola.* Hæc ea eſt:

MAURICIUS COMES NASSOVIÆ, Catmelibocorum, Viandæ &c.

Gratius equidem aut acceptius, Viri Ampliſſimi, nihil mihi accidere potuiſſet, quam rebus meis hic quomodocumque compoſitis ilico Lugdunum ad almæ Academiæ veſtræ, tamquam ad matris dulciſſimæ gremium potuiſſe reverti, & tam ei quam vobis ob accepta benevolentiæ officia debitas gratias agere. Poſtea vero quam Ampliſſimis patriæ noſtræ Ordinibus viſum eſt me hic remorari, quo facilius ac promptius illis in præſenti onere, quod pro aris & focis ſuſceperunt, mea quantulacunque opera adeſſe poſſim, ideoque facultas explendi tam juſti deſiderii mihi ſit adempta, facere non potui, quin A. V. candidum animum meum erga vos & almam veſtram Academiam hiſce ſaltem literis, dum aliter non licet, affirmarem. Scio præſentia veſtra in me beneficia. Expertus ſum indies ſingularem benevolentiam, aſſiduum ſtudium, & amorem in me veſtrum. Etſi vero & facultates & fortunæ meæ eo in loco ſint, ut æquam vobis talionem reddere nequeam, perſuaſum tamen habeatis volo, memoriam eorum omnium mihi, quoad ſpiritum duxero, fore gratiſſimam, meque & opera & ſtudio meo, licet tenui, nunquam vobis defuturum. Valete Viri Ampliſſimi, meque ſolito poſthac amore ſemper complexum tenete. Delphis XIX. *Septembris Anno.* M. D. LXXXIIII.

A. V. deditiſſimus

MAURICIUS COMES A NASSAU.

Superſcriptio erat:

Ampliſſimis ac Doctiſſimis Viris,
Domino Rectori & cæteris almæ Lugdunenſis Academiæ Profeſſoribus apud Batavos.

Hunc eundem animi ſenſum expreſſit etiam deinceps, quando jam ad eum majorennem, poſt diſceſſum Comitis Leiceſtrienſis, partes eligendi Rectorem Magnificum pervenerant. Ita autem ſcripſit: *Accepi veſtras literas, Viri Ornatiſſimi, ex quibus intellexi quale ſit meum, in Rectore Academiæ veſtræ nominando, ſicut ex ſtatuto feliciſſimæ memoriæ parentis mei illuſtriſſimi apparet, officium. Quemadmodum autem illius erga vos promtiſſimum ſemper fuit ſtudium, ſic etiam & adhortatio exempli paterni, mea apud vos inſtitutio & educatio, amor etiam patriæ impellunt, ut & ſummis in rebus & mediocribus, Illuſtriſſimi parentis memoriam, erga vos gratitudinem, & in patriam pietatem modis omnibus teſtificer. Itaque cum nominandi Rectoris meæ jam ſint partes, ſic ut vobis gratulor qui mihi tres viros graves & eruditos propoſueritis, ita Academiæ cauſa gaudeo, illam noſtris hiſce exulceratis & miſeris temporibus tales habere, qui ad talia munera gerenda ſint idonei. Cæterum ubi Magiſtratus Leidenſis ſententiam audivi, rebuſque omnibus apud me, & cum viris gravibus expenſis, judico D. Juſtum Lipſium, qui jam Rectorem agit, continuandum eſſe, idque e re fore totius Academiæ & Civitatis. Abs eoque peto ne Academiæ hac in parte, nec meæ petitioni, quam juſtam judico, deſit. Si quid vero erit, quo in poſterum vobis prodeſſe poſſum, omnem meam operam & diligentiam a me exſpectate. Deus omnis ſapientiæ Pater vos diutiſſime ſervet incolumes. Valete. Hagæ* III. *Februarii, Anno* MDLXXXVIII.

Vobis Amiciſſimus

MAURICE DE NASSAU.

Superſcriptio erat:

Ornatiſſimis & Doctiſſimis
Dominis Rectori & Profeſſoribus in Academia Leidenſi.

Notandum porro harum trium literarum, uti & plurium inſuper aliarum ipſa autographa, adhuc in Academici Senatus archivis reſervari.

P. 21. *lin.* 20. *Quorum nomina.* De his Profeſſoribus, qui, quot, quando, quamdiu, quo ordine &c. his muneribus functi fuerint, ex parte de prioribus videri poſſunt *Alma Academia Leidenſis* & Meurſii *Athenæ Batavæ*, aliique. De poſteribus Martin. Soermans *Index Profeſſorum Academiæ Leidenſis* lingua Belgica conſcriptus, & ad Annum 1704. perductus. Curat etiam Academiæ noſtræ Typographus Petr. vander Aa, vir ſolertiſſimus, & de re literaria optime meritus, deſcriptionem vitæ omnium Profeſſorum, unà cum eorum Iconibus, inde ab Academiæ fundatione ad hæc noſtra uſque tempora. Dabo mox hic ordine tantum Profeſſores primæ ætatis: quos nominaſſe eſt vere laudaſſe.

P. 22. *lin.* 1. *Novendecim.* Ludov. Capellus: Guil. Feugueræus: Joan. Bollius: Hub. Sturmius: Lamb. Danæus: Jo. Holmannus: Andr. Saravia: Luc. Trelcatius Pater: Car. Gallus: Franc. aunius: Franc. Gomarus: Jerem. Baſtingius: Jac. Arminius: Luc. Trelcatius, junior: Jo. Polyander a Kerkhoven: Sim. Epiſcopius: Andr. Rivetus: Ant. Walæus: Ant. Thyſius.

Ibid. *lin.* 2. *Orationem inauguralem.* Ea vero exſtat apud Meurſium in *Athenis Batavis*, poſt Dedicationem ac Præfationem, ante *Lib.* 1.

Ibid. *lin.* 4. *Quatuordecim.* Corn. Neoſtadius: Corn. Grotius: Juſtus Lipſius: Hugo Donellus: Jul. Beyma: Lubbert. Hoenradius: Thom. Soſius: Everh. Bronkhorſtius: Ger. Tunningius: Corn. a Swanenburg: Jo. Linderhauſen: Guil. Bontius: Corn. Sylvius: & qui agmen hac ætate claudit inter Themidis Antiſtites eſt elegantiſſimus ille Petrus Cunæus.

Ibid. *lin.* 6. *Undecim.* Medici, cum Theoretici, tum Practici, præter jam recenſitos Foreſtum & Oirſchotum, fuerunt Ger. Bontius: Jo. Heurnius: Rembert. Dodonæus: Petr. Paeuwius: Car. Cluſius, & hic quidem ad breve tempus ordinarius, mox vero Profeſſor honorarius ob nominis claritudinem, & rei herbariæ peritiam eximiam, El. Everh. Vorſtius:

ſtius: Otto Heurnius: Rein. Bontius: Ewald. Schrevelius.

P. 22. *lin.* 14. *Duodecim.* Adr. Dammannus: Petr. Molinæus: Jo. Mordiſonius: Rud. Snellius: Dan. Heinſius: Rein. Bontius: Guill. Jacchæus: Petr. Bertius: Willebr. Snellius van Royen: Petr. Cunæus: Caſp. Barlæus: Franc. Petr. Burgersdicius.

Ibid. *lin.* 12. *Novemdecim.* Caſp. a Gent: Herm. Reineccherus: Petr. Tiara: Laur. Oirſchotus: Nic. Damnius: Baſilius Pithodeus: Jo. Druſius: Bonavent. Vulcanius: Juſtus Lipſius: Rud. Snellius: Franc. Raphelengius: Franc. Junius: Paul. Merula: Guil. Coddæus: Domin. Baudius: Dan. Heinſius: Jo. Meurſius: Jo. Ger. Voſſius: Thom. Erpenius.

Ibid. *lin.* 22. *Extraordinarios Lectoresque.* Et hos omnes hic unà recenſebo inde ab initio hujus Academiæ ad hæc noſtra usque tempora. Incipiam a *Lectoribus* primum, e quibus plurimi deinceps lecti ſunt Profeſſores Extraordinarii, & ex his porro multi Profeſſores Ordinarii. Lectores in *Theologia* fuerunt Ætate 1. Hub. Sturmius. Ætate 2. Ger. vander Meulen. Ætate 3. Jac. Gailjardus. In *Jurisprudentia* Ætate 1. Jo. Albert. Griphius: Jo. Linderhauſen: Arn. Vinnius: Bern. Sutholdus. Ætate 2. Jac. Mæſtertius: Marc. Zuer. Boxhornius: Sim. Vinnius: Steph. Marchant: Jo. vander Does: Georg. Conr. Cruſius. Ætate 3. Jo. Baptiſt. de Roccoles. In *Medicina* ætate 1. Adr. a Valkenburg: Hub. Bylius: Henr. Florentius. Ætate 2. Jo. Walæus Ant. F. Alb. Kyperus: Joh. de Rayus: Luc. Schachtius: Car. Dematius. Ætate 3. Jac. le Mortius: Joh. Broenius: Herm. Boerhavius. In *Philoſophia* Ætate 1. Jo. Makelo: Ger. Jo. Voſſius: Jo. Mordiſonius: Willebr. Snellius Royenus, Rud. F: Adr. Smoutius: Gilb. Jacchæus: Henr. Salomonis: Nic. Haſius. Ætatate 2. Franc. Bannius: Jo. Boteſius: Jo. Klenckius: ... Jarrigius: Jo. de Rayus: Dav. Stuartus: Ant. Geulingius: Luc. Schachtius: Wolf. Senguerdius: Petr. Schotanus: Jo. Conr. Nuberus: Joh. Swartenhengſtius: Ger. de Vries: Wilh. Wilhelmius. Ætate 3. Jo. Caſp. Seelmatter: Henr. Coetſius. In *Hiſtoria* Ætate 3. Jo. Conr. Nuberus. In *Lingua Hebræa* & aliis *Linguis Orientalibus* Ætate 1. Ferdin. Philippus: Io. Antonides. Ætate 2. Hier. Harderus. In *Lingua Græca* & *Latina* Ætate 1. Dan. Heinſius. Ætate 3. in *Latina* Sigebert. Haverkampius.

Profeſſores vero *Extraordinarii* fuere in *Theologia* Ætate 1. Car. Gallus & Luc. Trelcatius Fil. In *Jurisprudentia* Ætate 1. Nic. Dalius: Jo. a Myjus ab Adrichem: Jul. Beyma: Th. Soſius: Corn. Grotius: Ger. Tuningius: Corn. Pynackerus: Corn. a Swanenburg: Domin. Baudius: Jo. Lettingius: Jo. Linderhauſen: Nic. Dedel. Ætate 2. Arn. Vinnius: Jac. Mæſtertius: Ant. Thyſius Jun. Adr. Beekerſus a Thienen: Jac. Marchant. In *Medicina* Ætate 1. Petr. Pauwius: Reiner. Bontius: Otto Heurnius: Adolp. Vorſtius: Adr. a Valkenburg. Ætate 2. Jo. Walæus: Jo. ab Horne: Car. Dematius. In *Philoſophia* Ætate 1. Alex. Ratloo: Rud. Snellius: Ant. Trutius Lyranus: Jac. Weſterhoven: Jac. Ramſeus: Petr. Bertius: Jo. Murdiſonius: Otto Heurnius Jo. Fil. Gilb. Jacchæus: Reiner. Bontius: Willebr. Snellius: Nic. Haſius. Ætate 2. Franc. Bannius: Adr. Heereboordius: Henr. Bornius: Jo. de Rayus: Dav. Stuartus: Arnold. Geulingius: Godefrid. Spinæus. Ætate 3. Wolferd. Senguerdius. In *Hiſtoriis* Ætate 1. Paul. Merula: Jo. Meurſius. In *Lingua Hebræa*, &c. Ætate 2. Franc. Raphelengius: Guil. Coddæus: Thom. Erpenius. Ætate 2. Ant. Hulſius: Hieron. Harderus. Ætate 3. Carolus Schaef. In *Lingua Græca* Ætate 1. Dan. Heinſius: Jo. Meurſius. Ætate 2. Lamb. Barlæus, Caſp. F. In *Lingua Latina*, ſive *Eloquentia* Ætate 1. Franc. Bredius: Domin. Baudius: Dan. Heinſius: Jo. Meurſius: Petr. Cunæus. Ætate 2. Marc. Zuerius Boxhornius: Ant. Thyſius: Jo. Conr. Nuberus.

P. 23. *lin.* 3. *In re literaria præcellentiſſimos.* Vid. quæ hic refert. illuſt. Petr. Corn. Hoofdius, *Hiſtor. Belgic.* l. 9. ad finem.

P. 23. *lin.* 10. *Phil. Marnixium.* Vid. de eo *Alm. Acad.* p. 32. *Meurſ.* 178. 180.

Ibid. *lin.* 11. *Joſ. Juſt. Scaligerum:* vid. de eo ante ad p. 5. *col. b.*

Ibid. *lin.* 13. *Petr. Scriverium.* Vid. Meurſ. p. 220-228. Harlemi nato apud Batavos, Juri civili hic Leidæ operam daturo *amæniores illæ Muſæ velut manum injecerunt. A foro itaque alienus, privatus & LARE SECRETO hic vixit, conſuetudine & amicitia doctorum Virorum beatus;* ſcribit Valer. Andreæ, qui ejus opera eruditiſſima etiam recenſuit in *Biblioth. Belgica.* p. 760.

Ibid. *Ibid. Phil. Cluverium.* Vid. Meurs. p. 291. Parentavit ei Dan. Heinſius. Vid. hujus *Oration.* p. m. 98 — 114.

Ibid. *lin.* 14. *Car. Cluſium.* Iſte Cluſius huc Lugdunum evocatus Anno 1593. annuum ei ſtipendium decretum eſt a Curatoribus Academiæ: ibi ætatis & gloriæ ſatur vivere deſiit A. 1609. ætatis vero 84. ſepultus in Templo Mariæ cum inſigni epitaphio publicis ſumtibus ejus memoriæ dedicato. Vid. Meurſ. p. 187. Et Valer. Andreæ *Biblioth. Belg.* p. 118.

Ibid. *lin.* 24. *Inſigni beneficio.* Vid. Meurſ. p. 29.

P. 24. *lin.* 1. *Indultum.* Iſtud exſtat ſatis prolixum de verbo ad verbum in *Document. Actor. Acad.* Cod. VI. p. 33. Datum eſt Rhotomagi, Lingua Gallica exaratum, menſe Januarii Ann. 1597; & ab ipſo Rege ſubſiſignatum. In eo hæc habentur verba, quæ excerpam: — *Il nous pleut accorder aux Eſcoliers & Eſtudians des l'Univerſité de Leyden pareils privileges en ce dit Royaulme,* (de France) *deſquels jouiſſent en iceluy les Eſcoliers des aultres Univerſites Eſtrangiers. Scavoir faiſons que nous deſirans en toutes choſes bien & favorablement traiter leſdits Srs. Eſtats* (des Provinces-Unies) *& leur teſmongner combien leur affection & bonne volonte en noſtre endroit nous eſt chere & recommande, de l'advis de noſtre Conſeil, & de noſtre grace ſpeciale, pleine puiſſance, & authorite Royal, nous avons accorde, & accordons par ces pñs leſdits Eſcoliers eſtudians en la dite Univerſité de Leyden, pareils droits, privileges, preeminences, exemptions, & immunites en ceſtui noſtre Royaume, deſquels jouiſſent en iceluy les Eſcoliers des autres Univerſites Eſtrangiers; ſans qu'il ſoit beſoin declarer & ſpecifier particulierement leſdits droits &c. voulans & ordonnans qu'ils en jouiſſent plainement & paiſiblement* &c. *N'entendons toutefois que les Docteurs en droit Canon, Theologiens, ni Medecins puiſſent lire publiquement en celuy noſtre dit Royaume ſoubs couleur de la preſente conceſſion, ſi ce n'eſt en vertu de nos lettres de permiſſion, ſi nous donnons en mandement* &c. Hujus indulti paucis meminit etiam Ill. Hugo Grotius, *Annal. L.* 5. ad Annum 1596. *Eodem tempore ab Henrico impetratum, ut, quæ Lugduni Batavorum eductis apud ſe ingeniis, teſtimonia perhibuiſſent diverſarum artium Profeſſores per Galliam valerent.*

P. 24. *lin.* 24. *Prout cenſebatur.* In ea erat ſententia Vir elegans Cunæus annum Jubilæum incidere in annum 49. quod magni Viri ſtatuunt. Alii contrà Jubili ſpatium præciſe 50. annis circumſcribendum aſſerunt, pro qua opinione neque deſunt maxima nomina. Hanc poſteriorem multis & docte propugnavit Vir harum rerum callentiſſimus Jo. Meyerus, Theologus Harderovicenus meritiſſimus, in repetita nupera auctaque editione *de Feſtis Hebræorum*, pag. 343. Cel. Cunæus ideo iſtam orationem habuit 8. Febr. Anno 1624. quando auſpicaretur Rectoris munus. Illa exſtat ordine prima inter ejus Orationes editas ab ipſius Filio Joanne hic Lugduni Batav. Anno 1640.

P. 26. *lin.* 17. *Decem.* Jac. Triglandium Avum puta: Frid. Spanhemium Patrem: Conſtant. L'Empereur ab Oppyk: Abrah. Heidanum: Jo. Coccejum: Jo. Hoornbeekium: Jo. Valkenierum: Frid. Spanhemium Filium: Chriſtoph. Wittichium: Stephanum le Moyne.

Ibid. *Duodecim.* Nic. Dedelium: Arn. Vinnium: Jac. Mæſtertium: Bern. Schotanum: Dan. Colonium: Ant. Thyſium juniorem: Adr. Beekertſum a Thienen: Alb. Ruſium: Steph. Marchantium: Jo. Frid. Boc-

Bockelmannum: Georg. Conr. Cruſium: Ant. Matthæum.

Ibid. *lin.* 18. *Novem.* Adolph. Vorſtium: Adr. a Valkenburg: Jo. Walæum: Alb. Kyperum: Jo. Ant. a Linden: Jo. Hornium: Franc. de le Boe Sylvium: Car. Dematium: Theodorum Cranenum.

Ibid. *Duodecim.* Jac. Golium: Jo. Bodecherum: Franc. Bamium: Adrian. Heereboordium: Adam. Stuartum: Henr. Bornium: Jo. de Rayum: Dan. Stuartum: Chriſt Melderum: Godefr. Spinæum: Theod. Cranenum: Burch. Volderum.

Ibid. *Novem.* Marc. Zuer. Boxhornium: Ant. Thyſium juniorem: Georg. Hornium: Jo. Frid. Gronovium: Jo. Coccium: Theod. Ryckium, Hiſtoricos & Græcæ linguæ Profeſſores. Jac. Golium vero, Conſtant. l'Empereur ab Oppyk; Allard. Ugtmanum Hebrææ.

P. 26. *lin.* 24. *Claud. Salmaſius.* Vid. de eo Orlers p. 188. Orationem funebrem habuit Adolp. Vorſtius. Ejus vitam, mortem, ſcripta, laudesque pluribus reliquit poſteritati Ant. Clementius, in *Prolegomenis* ante librum *Epiſtolarum* Salmaſii, quas edidit *Lugd. Bat.* 1656. Hic celebris ille Salmaſius a Nobiliſſimis Curatoribus huc vocatus eſt Anno 1632. ſic referente Vorſtio, *ut nominis ſui honorem Academiæ huic impertiret, ſcriptis eandem illuſtraret, præſentia condecoraret.* Exinde diſputat Clementius eum nullo *Profeſſoris*, neque *Profeſſoris Honorarii* titulo vocatum. Hanc rem hic non inquiro: ſufficiat eum vulgo in honorariorum Profeſſorum numero reperiri: nec video ſane eo quicquam maximi Viri dibus detrahi.

P. 28. *lin.* 3. *Intereſſe pompis.* Quod fecit non ſolum hic degens juvenis, ſed & ſæpe poſtea jam Reipublicæ Gubernator. Ita interfuit *Orationi gratulatoriæ*, quam auctoritate & nomine Senatus Academici coram Principe habuit Ven. Senex Abrah. Heidanus pridie Calendas Majas anno 1674. Sequenti etiam anno 1675. 8. Februarii, quando hujus Academiæ celebrabatur feſtivitas ſecularis: uti & deinceps. Ipſo autem non præſente miſſi ſunt ab eo ipſum repræſentantes, aliquando illuſtriſſimus Comes de Solms, nonnunquam Vir elegans & Nobiliſſimus Conſtant. Hugenius, Zelemi Toparcha, Principi ab Actis, aliique Viri vel Equeſtris Ordinis, vel in Republica Primarii.

P. 28. *lin.* 19. *Æquaſſe.* Grotius *Annal. L.* 5. ad annum 1596. de Academia Lugduno Batava ſcribens hæc habet: *Brevi, quanquam & Friſii Franekeranam eodem inſtituto* (ad conſervationem ſcilicet libertatis in Religione ac Statu civili) *extulerant, Batavorum ſchola & fama Præceptorum, & ſuæ externæque juventutis accurſu multum præfulſit.*

P. 29. *lin.* 10. *Hic loci* &c. Idem Vir magnus Grotius, poſtquam locutus fuerat de ſummis Viris, qui in hac Academia floruerant, Donello, Lipſio, Scaligero, Raphelengio, Vulcanio, Franc. Junio, Adr. Junio, Aldegondiæ Domino, Cluſio, quorum brevem dederat deſcriptionem, ita tandem ſubjungit: *Talibus magiſtris atque exemplis juventus excita in eam multitudinem excrevit, ut artes communi & privatæ utilitati propiores, quæ antea per infrequentiam jacebant, alendis ingeniis non ſufficiant* &c. Simili modo Gerard. Brandtius in Deſcriptione *Vitæ* Petri Cornelii Hoofdii, Hiſtoricorum Belgii noſtri facile principis, p. m. 5. memorans eum in Academiam Leidenſem miſſum ſtudiorum cauſa, diſerte ſcribit eam iſthac ætate excelſam fuiſſe eruditiſſimis per univerſum orbem Chriſtianum Viris, quorum tum catalogum quendam inſtituit. Addit denique: *In hoc ſeminario ingeniorum præcellentiſſimorum tunc temporis etiam degebat eximium iſtud naturæ miraculum Hugo Grotius.* J. Revius *Orat. Inaug. in Colleg. Theol.* hæc habet: *Tandem veniendum eſt ad hanc, hanc, inquam, inclytam Leidenſem Academiam, quæ tantum, haud dicam dolo, reliquis omnibus omnium temporum ac locorum Academiis prælucet, quantum, ut numeroſus Poëta ait, micat inter ignes luna minores.* Et Jo. Hoornbeek *Orat. Inaug. Omnium prima, & reliquarum*

in Belgio mater, mater ſtudiorum ac Literarum, omniſque qua Patria exundat, & ſe exteris, & orbi prodigium facit ſapientiæ &c. Addam ipſum iſtud omnis eruditionis lumen, & Ultrajectinæ Academiæ non ita pridem ornamentum ac præſidium ingens Jo. Georg. Grævium *Orat. in obitum Franc. Burmanni* p. 331. qui de urbe Lugduno-Batava, *omnium urbium Batavicarum, ſi Amſterodamum exceperis, maxima & opulentiſſima*, hæc diſerte ſcribit, & cujus teſtimonium tanti eſt, ut nihil ſupra: *Hanc urbem præ cæteris nobilitavit, & ſuper omnes extulit illuſtriſſimum & auguſtiſſimum illud ſapientiæ & omnis doctrinæ ſacrarium, maximum orbis muſeum, in quo plures viri ſummi qui principatum ingenii & eruditionis tenuerunt, floruere, quam in cæteris omnibus Europæ Academiis.*

P. 29. *lin.* 26. *Jo. Coccejo.* Huic in Æde S. Petri ſepulto monumentum ex marmore poni voluit uxor & vidua Filii ejus unici Jo. Henr. Cocceji, S. S. Th. Doct. Feudi Hollandiæ Graphiarii, & Rational. Ord. General. a Secretis.

P. 30. *lin.* 15. *Swammerdamum.* Hæc hiſtoria luctuoſiſſima pluribus eſt deſcripta a Petr. Falconierio in ſua *Europa Confuſa*, Lingua Vernacula edita Amſt. 1675.

P. 31. *lin.* 1. *Pragenſi.* Quid Academiis, Bibliothecis, Collegiis, Ædibus ſacris evenerit in Bohemia, & Pragæ inprimis, geſtis luctuoſiſſimis ibi iſtis bellis ante ſeculum, refert Jo. Ph. Abelinus *Theatr. Europ.* Tom. 1. p. 655. ad Annum 1622.

Ibid. *Ibid. Heidelbergenſi.* Hic fuit quondam celebris Bibliotheca refertiſſima omne genus ſcriptis codicibus, quorum fama ita excitatus fuerat Cl. Salmaſius noſter adhuc Juvenis ut referat de eo Ant. Clemens in vita ipſius: *Cum ergo penitius cognoſcendæ* τῆς ἐκκλησιαστικῆς ἀρχαιολογίας *cupiditate prorſus exardeſceret, & præcipuo ad eam rem adjumento fore ſibi Philologiæ ſtudia prævideret, totque Viros doctiſſimos, quibus tunc temporis Germania ſplendebat, tot exquiſitiſſimos, & fruſtra alibi, quærendos venerandæ Antiquitatis Codices, quibus Palatina Bibliotheca ſupra alias omnes ſtipata eminebat, ſuſpiceret, unam Heidelbergam cogitabat, unam affectabat.* Iſthæc autem Bibliotheca immani iſthoc dicto jam bello Heidelbergâ Romam eſt tranſportata, atque hactenus extat in Bibliotheca Vaticana, & ſegregata ab aliis Libris: uti ſic eam vidit Burnetus, ejus mentionem faciens in ſuo *Itinerario* per Italiam. De hac porro Bibliotheca, quando, & per quos ex loco ſuo mota, vid. Abelinus *Ibid.* p. 734. ad Annum 1623. & Tolneri *Hiſt. Palat. Cap.* 3. p. 106.

P. 31. *lin.* 15. *Præfectus.* Alter ab illo fuit Car. Dematius, Med. Dr. & Chymiæ Profeſſor. Signiferi vero fuerunt ex Studioſis hujus Academiæ, unus poſt alium Generoſiſſimi Juvenes, inter quos & Illuſtriſſimus Sobietsky, cujus Patruus erat invictiſſimus ille Rex Polonorum Jo. Sobietsky; & ultimus Ampliſſimus Conr. Ruyſchius, nunc Vir Conſularis in noſtra urbe graviſſimus, apud quem ipſum ſignum illud Academicæ cohortis militare in ſempiternam memoriam familiæque decus adhuc ſollicite aſſervatur, & nuper a me conſpectum eſt.

P. 33. *lin.* 5. *Carmen.* Iſtud impreſſum eſt *Lugd. Bat.* 1683. cui adſcribere duo adhuc debeo Elegiaca, quæ adſcripſit ſua manu idem ille Vir conſultiſſimus Groenendicius iſtis exemplaribus impreſſis, quæ diſtributa ſunt ſingulis iſtius cohortis militaris membris, quibus nomine rurſus Magiſtratus urbani gratias cuique egit pro opera fideliter præſtita. Hæc autem mecum communicata ab Ampliſſ. Ruyſchio ita ſe habent, poſt adſcriptum uniuscujusque nomen in capite:

Quamvis demeritos ſibi gloria reddat honores,
Et virtus merces ſit pretioſa ſui;
Ingratum tamen eſſe nequit, mandante Senatu,
Subſcribi meritis, Vir generoſe, tuis.

Subſcriptum
J. v. GROENENDYK.
Secretarius.

P. 30.

P. 33. *lin.* 13. *Ad Urbem conſervandam.* Hic notandum poſteritati, quod hæc Urbs ſervata olim ante ſeculum ab Hiſpanorum expugnatione, nunc a Gallorum irruptione defenſa, hoſtiles exercitus victoriâ exultantes, cum immortali ſui laude hic ita plane ſtiterit, ut nullos amplius progreſſus in Hollandia, nullum ulterius pedem movere potuerint, & vel ſic Patria univerſa teſtificationem gratam edere denuo debuerit.

Ibid. *lin.* 22. *Publice ſcriptis.* Vid. *Deductionem* nomine Magiſtratus Leidenſis conſcriptam a Conſultiſſimo Petr. Marco, Urbis Syndico, & exhibitam Nobiliſſ. Præpotentiſſ. Hollandiæ Weſtfriſiæque Ordinibus 23. Julii 1717. pag. 17. in qua mentio fit *Remonſtrantiæ nomine D. D. Prætoris, Conſulum, atque Scabinorum exhibitæ Comiti Leiceſtrienſi* 4. Junii 1586. occaſione quod nonnulla tunc agitarentur, quæ in Academiæ detrimentum poſſent tendere, in qua citata verba occurrunt, & hic recenſentur. Quantum porro emolumentum Academia Patriæ & Urbi afferat, ſcribit diſerte ipſe etiam Ampliſſ. Leidenſis Conſul I. I. Orlers, in ſua hujus *Urbis Deſcript.* pag. 201. & jam ante ex ipſo Grotio percepimus.

P. 34. *lin.* 12. *Feſtivitas.* Exſtat ille Sermo Academicus ante Catalogum Bibliothecæ publicæ Lugduno-Batavæ editum Anno 1674.

P. 36. *lin.* 12. *Annales.* Vid. Academici Senatus Acta ad hunc diem.

Pag. 37. *lin.* 8. *Multi ex noſtro Ordine.* Immo vero longe plurimi, & omnes certe, duobus modo exceptis.

Ibid. *ibid.* *Longe vero plures.* Longe maxima certe Auditorum pars ex omni ordine ac dignitate, non Doctores modo quarumvis Facultatum, non modo tot Verbi Divini Præcones, Leidenſiſque Eccleſiæ Miniſtri omnes, uno duntaxat excepto; ſed & ipſi Academiæ Curatores ſplendidiſſimi, & Magiſtratus urbanus univerſus.

P. 38. *lin.* 11. *Quinque.* Ant. Hulſius: Jac. Gaillardus: Jac. Triglandius Nepos: Herm. Witzius: Sal. Tillius.

Ibid. *lin.* 12. *Tres.* Sibert. Coeman: Jo. Voetius: Phil. Reinhardus Vitriarius.

Ibid. *ibid.* *Novem.* Paul. Hermannus: Ant. Nuckius: Archibald. Pitcarne: Godefr. Bidlöus: Frid. Deckerſus: Petr. Hottonus: Jac. le Mortius: Bernh. Albinus: Jac. Ravius.

Ibid. *lin.* 13. *Tres.* Wolf. Senguerdius: Wilh. Wilhelmius: Jac. Bernardus.

Ibid. *ibid.* *Duo.* Jac. Gronovius: Jac. Perizonius.

Ibid. *lin.* 21. *Ordinem.* Hunc conſtituunt hodie Sexdecim. Theologi Quatuor: Jo. Marckius: Franc. Fabricius: Jo. Weſſelius: Taco Hajo Honertus. Quatuor itidem Juriſconſulti: Ger. Nootius: Ant. Schultingius: Jo. Jac. Vitriarius: Jo. Ortwin. Wetenbergius. Medici tres: Herm. Boerhaavius: Herm. Ooſterdicius Schachtius: Bernh. Sigfridus Albinus. Philoſophi Duo: Guil. Jac. 's Gravezande & Jac. Wittichius. Hiſtorici ac Philologi tres: Jo. Heymannus: Petrus Burmannus, & Sigebert. Havercampius. Extraordinarius Profeſſor Linguar. Orient. Car. Schaaf: Lector vero Belgice etiam Matheſin & annexas docens diſciplinas Henr. Coetſius.

P. 40. *lin.* 1. *Procerum deſiderio.* Auctoribus quippe Nobiliſſimis & Ampliſſimis Curatoribus & Conſulibus hæc Oratio hunc in finem directa fuit: cujus Illuſtriſſimi Conſeſſus deſiderio mihi per Conſulum primum indicato lubentiſſimo animo ſum obſecutus.

Pag. 42. *lin.* 10. *Etruriæ Ducem.* Cum enim Vir Ampliſſimus D. Heinſius per literas Senatui Academico indicaſſet conſtitutum eſſe Sereniſſimo Coſmo Medicæo, magnæ Etruriæ Principi, hanc Academiam quam primum inviſere, judicavit Senatus 24. Decemb. 1667. ex dignitate Academiæ eſſe, ut tanto Principi erudito, & eruditorum fautori, ejus in eam adventum aliquis ex D. D. Profeſſoribus publice gratuletur. Quam provinciam delegavit D. Jo. Frid. Gronovio: cenſuitque prima occaſione, ubi in Urbem adveniſſet Princeps, nomine Senatus per D. D.

Rectorem & Aſſeſſores ei adventum gratulandum, & rogandum, ut dignaretur ſua præſentia cohoneſtare Orationem, qua Senatus publice teſtari deſiderat, quam gratus ei futurus eſſet tanti Principis, de eruditione & eruditis, ad exemplum majorum optime meriti, in Academiam noſtram adventus. Quod ubi factum, poſt modeſtam excuſationem, qua ſe maxime extollebat, honorem ſibi ab Academia delatum grate acceptavit; ſummaque humanitate a Celſiſſimo Principe excepti, & dimiſſi fuerunt poſt familiarius colloquium Rector & cæteri Legati. Ubi advenerat dies orationis habendæ, qui erat decimus Januarii Anno 1668. Rector & Senatus ante portam Academiæ prædictum Principem exceperunt, eumque Rector & primus Profeſſor medium ad locum deſtinatum deduxerunt. Habuit tum orationem Clar. Gronovius, qua magnum Etruriæ Ducem allocutus eſt in Auditorio Theologico tapetis ornato: egitque Princeps in ipſo Auditorio ſtatim poſt Orationem maximas Senatui gratias, ſæpius exiens teſtatus gratum honorem ſibi contigiſſe. Hæc Oratio typis Elzeviriorum noſtrorum exſtat in forma maxima. De hac ſua allocutione ipſe Cel. Gronovius in quadam ſua ad Nic. Heinſium epiſtola videtur Clar. Burmanno noſtro agere *Syllog. Epiſtol. a Viris illuſtr. ſcript. Tom.* 3. *Epiſt.* 414. Vid. & *Epiſt.* 415. p. 532.

P. 42. *lin.* 14. *Epiſcopum Londinenſem.* Quod accidit 17. Febr. 1691. quando retulit Magnificus ad orationem hodiernam venturos illuſtres Viros, Epiſcopum Londinenſem, & Comitem de Nottingham, non Regio tamen Guilielmi III. ſed privato nomine. Viſum Senatui illos per quatuor Facultatum primos excipiendos ad limen Academiæ: quod & factum.

Ibid. *lin.* 17. *Electorem Saxoniæ.* De eo, &, qui ſequuntur, cæteris longum foret ſingula notaſſe. Idcirco contentus ero tantos Principes modo nominaſſe; præcipue cum hæc noſtra memoria evenerint.

P. 43. *lin.* 17. *Ab utriſque.* De Julio Cæſare proverbium ventilatum eſt: *Ex utroque Cæſar. Virtutem enim ejus bellicam, privataque ſtudia nemo ſatis mirari poteſt, in omnibus fere feliciſſimus*, ſcribit de eo Car. Patinus *Theſaur. Numiſmat.* p. 2. quæ eadem huic Imperatori applicari poſſunt. Inviſit autem Academiam noſtram Anno 1717.

Ibid. *lin.* 22. *Divini conaminis.* Hic quippe Princeps non modo erga nonnullos jam Pſeudo-Sanctos cultum abolevit religioſum in Imperii ſui Eccleſiis, ſed in hac etiam Patria noſtra edi curavit S. Scripturas literis majoribus, & elegantiſſimæ formæ, non noſtra tantum Belgica Lingua, ſed & Ruſſica, duabus columnis diſtinctis, & ingenti quidem copia, ut a populo ipſius Dominio ſubjecto legi poſſint.

Hæc qualiacunque, Lector Benevole, properantibus typothetis, ad calcem Orationis, cum prælo ſudarent, adjicere volui, quæ pluribus extendi ex Actis Academicis, & aliunde poſſent: ſed hæc ſufficiant. Antequam vero te plane dimittam, monendus es nonnulla eſſe in hac Oratione, pauciſſima tamen, quæ pluribus hic ſunt poſita, ob temporis huic feſtivitati conſtituti anguſtiam non pronunciata, quæ tamen non minus ad veram laudem, & Academiæ noſtræ gloriam facere videbantur, quam quæ dicta fuere. Interea temporis vero, quo typis jam erat mandata noſtra illa ad omnium Ruſſorum Imperatorem allocutio, quæ exſtat Orat. p. 38. & 39. in Folio & in Quarto p. 42. & 43. (*pro qua facta Vir Graviſſimus D. vander Burg, qui Principis hujus Conſiliarius ipſius quoque negotia curat Amſtelodami degens, ædes meas adiit*, 24. *Februarii hujus menſis, gratæ teſtificationis ergo; egitque cum ſolertiſſimo noſtro Petr. vander Aa, ut quantocyus habeat exemplaria, quæ Petroburgum ad Imperatorem mittat*) *rumor pervenit ad aures noſtras, Divinæ viſum fuiſſe Providentiæ illo ipſo mane, pauciſſimas ante horas, cum declamarem ego, tam magnum Principem ſubito & inopinato e vivis eripere: cujus ſupremi Numinis beneplacitum viaſque abditas nos adorare decet, qui aufert ſpiritum Principibus, & terribilis eſt omnibus Regibus terræ.*

Quam

LECTORI BENEVOLO.

QUandoquidem exemplaribus editionis maxima forma jam diſtractis, hæc Oratio Jubilæa, & Notæ in Quarto, ut vocant, fuerint prælo ſubjectæ, feſtinantibus operis una cum erratis typographicis, quæ in priorem editionem irrepſerant, & nunc ad aliquot pagellas in utriſque perveniſſent, ſecundam hanc porro editionem exinde demum reviſi, & ad finem notarum pauca quæpiam addere cenſui. Hæc vero ſequentia ſunt:

Addenda in Notis in Quarto.

P. 3. *col.* 2. *lin.* 37. & 38. in Folio p. 3. *col.* 1. *lin.* 40. *Simulachrum iconicum.* Eſt ſimulachrum hoc ipſius filii: ſed ad columnam ſepulchro proximam exſtructum eſt monumentum ex marmore cum hac inſcriptione:

DEO. OPT. MAX. SACRUM.

ÆTERNÆ MEMORIÆ REVERENDI ET NOBILISSIMI VIRI D. IOANNIS POLYANDRI A KERKHOVEN, EX ANTIQUISSIMA ET NOBILISSIMA KERKHOVIORUM GANDAVIENSIUM FAMILIA, IN ECCLESIA GALLO-BELGICA DORDRECHTANA ANNOS XX. PASTORIS, IN ACADEMIA LUGDUNI BATAVORUM DOCTORIS, ET PROFESSORIS PRIMARII, ANNOS XXX. OCTIES RECTORIS MAGNIFICI, ET XXIII. SYNODI GALLO BELGICI PRÆSIDIS, HIC PIETATE, PRUDENTIA, PROBITATE, MORUM SUAVITATE, LIBERALITATE, ANIMI MODERATIONE, PACIS ET CONCORDIÆ AMORE, NEMINI SECUNDUS, OMNIBUS GRATUS ET CHARUS, NULLI GRAVIS, IN DOCENDO PERSPICUUS, IN DISPUTANDO PROMTUS, IN CONCIONANDO FACUNDUS, MEMORIÆ ET IUDICII INCOMPARABILIS; EADEM QUA VIXIT TRANQUILLITATE PLACIDE SUPREMUM DIEM CLAUSIT, IN FINE RECTORATUS SUI OCTAVI CIƆIƆCXLVI. IV. FEBR. ÆTATIS SUÆ LXXVIII. IOANNES A KERKHOVE HEENVLIETÆ DOMINUS, SALTUUM HOLLANDIÆ PRÆFECTUS FILIUS UNICUS MOERENS POSUIT.

Polyandro parentavit Frid. Spanhemius. P. quæ oratio typis exſtat Elzevirianis anno 1646.

P. 6. *col.* 1. *lin.* 2. a fine: in Folio P. 6. *col.* 1. *lin.* 6. a fine. *De quo vide ad pag....* ſupple *pag.* 3. *col.* 1. & in Fol. P. 2. *col.* 2. *lin.* 15. a fine.

P. 9. *col.* 2. *lin.* 26. in Fol. P. 7. *col.* 2. *lin.* 25. adde poſt *ſexaginta mille.* Vir hicce munificentiſſimus ad alias inſuper cauſas pias, uti & Academiæ cuidam exteræ in Germania tam ingentem legavit ſummam, ut fidem ferme ſuperet.

Ibid. *lin.* 29. in Fol. P. 7. *col.* 2. *lin.* 28. poſt *duodecim mille florenos.* Hic idem ille Dav. Nuytſius eſt, cujus ſororem Juditham Nuytziam uxorem duxit Jo. Polyander a Kerkhoven, de quo dixi *Pag.* 3. *col.* 2. *lin.* 37. in Fol. P. 31. *col.* 1 *lin.* 35. In Oratione autem funebri, quam in Polyandri obitum habuit Spanhemius P. deſcribit p. 33. hunc Dav. Nuytzium ceu *Virum honoratiſſimum, & ſupra fidem, ſupra exemplum ſaltem illa ætate munificum, ut qui ultra ducenta etiam florenorum millia pauperibus partim, partim S. Theologiæ ſtudioſis in Miniſterii ſacri alendis, teſtamento legavit.*

P. 13. *col.* 1 *lin.* 37. in Fol. P. 11. *col.* 1. *lin.* 4. *Herm. Boerhaavius.* Addatur Bernh. Siegf. Albinus.

P. 15. *col.* 1. *lin.* 3. in Fol. P. 12. *col.* 1. *lin.* 39. *Novem.* Neſcio cujus negligentia contigerit hic *novem* duntaxat recenſeri, cum in primo meo ſcripto diſerte *tredecim* poſuerim, una (quando nondum Notas adjicere animus erat) cum recenſione nominum in ipſo Orationis textu. In deſcriptione autem (quo pacto me latet) quatuor ſunt omiſſi, & iſte numerus tunc a correctore immutatus in *Novem.* Addi itaque debent inter Franc. de le Boe Sylvium & Car. Dematium, qui priorem ordine exceperunt, hi ſequentes quatuor Flor. Schulius: Car. Drelincurtius: Luc. Schachtius; & Arn. Syenus.

Hac occaſione, ubi de Medicis ſermo eſt, haud ſilentio omittendum, inſignem ab iis huic

huic Facultati promovendæ adhiberi operam in publico Noſocomio, in quo varia cubilia reperiuntur excipiendis, fovendis, refocillandis, curandisque ægrotis deſtinata, illis ſcil. qui ex pauperibus eò a Poliatris mittuntur, & ſumptibus Academiæ a duobus Med. Profeſſoribus curantur, ita ut alternatis vicibus ſinguli trimeſtri ſpatio iis curandis operam dent, idque publice coram omnibus ſtudioſis, ut ita iis genuina in morbos, eorum cauſas, ſymtomata, reliquaque quæ Medico in exercitio artis ſcitu ſummopere neceſſaria ſunt, inquirendi methodus impertiatur, & ſic ad praxin quaſi manu ducantur. Quando vero evenit ut ex iis ægrotis quiſpiam fatis concedat, tunc illa cadavera in uſum ſtudioſæ juventutis a dictis Profeſſoribus inciduntur, ut ſic, quoad ejus fieri poteſt, latentes morborum cauſſæ in apricum producantur, parteſque vere affectæ & affectionis indoles unicuique pateſcat. Utiliſſimo huic labori incubuerunt, quando dicta illa cubilia primum in eum finem eſſent ordinata, Ætate 1. Otto Heurnius & Ewaldus Schrevelius. Hiſce ſucceſſerunt Ætate 2. inprimis Fr. de le Boe Sylvius: Luc. Schachtius. Ætate vero 3. Paul. Hermannus: Anton. Nuckius: Archibald. Pitcarnius: Godefr. Bidloo: Fred. Deckerſus: & qui his temporibus eidem intenti ſunt Herm. Boerhaavius, & Herm. Ooſterdicius Schachtius.

P. 16. *col.* 1. *lin.* 18. in Fol. P. 13. *col.* 1. *lin.* 33. *Europæ Academiis.* Supplementi ergo adjiciam, quæ leguntur in ſupplemento magni Dictionarii Hiſtorici Lud. Moreri, ad Hiſtoriam Wittichii (Chriſtoph.) ubi proditur vocatus hic eſſe, poſt multas ſtationes ab ipſo ornatas, tandem ad cathedram Leidenſem: *Enfin c'eſt le ſort de l'Univerſité de Leide, que tous les plus habiles Profeſſeurs y viennent achever leur courſe, & y terminer leurs travaux, comme ſur un des plus eminens Theatres de toute l'Europe. Notre Wittichius y fut donc appellé pour Profeſſeur en Theologie l'an* 1671. *&c.*

Ibid. *lin.* 24. in *Fol. lin.* 39. *A Secretis.* Inſcriptio autem hæc eſt:

EXUVIAS,
INSIGNIS THEOLOGI,
IOHANNIS COCCEI
CHRISTO REDITURO SACRAS
HOC LOCO COMPOSUERUNT
VIDUA ET LIBERI,
ANNO SUPERIORIS SÆCULI MDCLXIX.
ÆTATIS LXVI.
CUIUS
IN SCRUTANDIS SACRIS LITERIS, IISQUE
EXPONENDIS CONFERENDIS ET MEDITANDIS
SOLERTIAM, SAGACITATEM ET INDUSTRIAM,
EXHAUSTOSQUE IN ACADEMIIS
FRANEKERANA ET LEYDENSI
LABORES
TOTUS ORBIS NOVIT
ET
FILII EIUS UNICI
IOH. HENRICI COCCEI S. S. TH. DOCT.
FEUD. HOLLAND. GRAPHIARII
ET RATIONAL. ORDD. GENERAL. A SECRET.
HIC CUM PARENTIBUS CONDI
ET SUAS ADDI
NURUS ET VIDUA
MARIA HEINSIUS,
SOCEROQUE ET CONIUGI OPTIMIS
HOC MONUMENTUM SUPREMIS TABULIS PONI VOLUIT
CIↃ. IↃ. CC. XII.

FINIS.

IN

IN CENTESIMUM ET QUINQUAGESIMUM NATALEM ACADEMIAE LEIDENSIS.

VOs, Batavi cineres, Illuſtria Nomina, nullo
Non victura aevo, patriam qui ſanguine terram
Pinxiſtis, furiaſque ALBAE, *immitiſque* PHILIPPI
Juſſa manu forti, & durato pectore quondam
Spreviſtis, poſitis tandem ut requieſceret armis
Dulce ſolum, diraeque minae bacchantis Iberi
Ceſſarent tandem, ſaevae immaneſque cataſtae,
Vos canimus merito. Poſtquam fluere omnia retro,
Atque adverſa ſibi cadere, ingemuere Tyranni,
Poſtquam Toletana ſuas remeavit ad arces
Peſtis, at innocuo nondum ſatiata cruore,
Succeſſor REQVESENVS *adeſt; tot funera Belgas*
Perpeſſos ſtupet, atque auſos tot grandia facta.
Pallentes oculos, veniens à morte cadaver
Dum quatit incaſſum, dum bellica machina circum
Incaſſum tonat, ecce, Deus miſeratus iniquam
Sortem, LEIDA, *tuam, ſua lumina torſit in hoſtem.*
BALDEI *Deus ille Patrum furibunda repreſſit*
Signa. Fugit trepido preſſus terrore; valere
Dentibus infrendens rabidis jubet impius Urbem.
Mars abit, & numero blandae cum Pallade Muſae

Auſpiciis Magni GVLIELMI Principis adſunt.
Cedit Lovanium, cedit tibi, LEIDA, Duacum.
Italia in Batavos, doctae portantur Athenae
In Batavos, nexu ſtabili proprioque dicatae.
Quis tibi, LEIDA, fuit cernenti talia ſenſus?
Quae pertentarunt laſſum nova gaudia pectus?
Vah, quales quantoſque Viros, Duce Principe vidit
Auriaco Schola percelebris! Quae nomina fovit
DOUSA Pater! Poſtquam Batavos Pax alma reviſit,
Et demto ſecura metu non Belgica caſtris,
Non turmis turbata ſacris, non puppibus amnes.
Splendida pompa fuit naſcenti ducta Lyceo.
Virginis os habitumque gerens, invecta quadrigis
Coeleſtis SCRIPTURA, Viris comitata decoro
Vultu bis binis, Cherubinos dicere Vates
Novimus e Sacris. Sequitur quae pondere lancem
Librat, & oſtentat gladium, ſanctiſſima rerum
JVSTITIA. Auctores Legum ſtipare quaterni
Hanc viſi. MEDICINA, ſalus morientibus una
Excipit. Hanc itidem quatuor comitantur ovantes
Praecipua gravitate Viri, Paeonius ordo.
Incedit PALLAS, clypeoque inſignis & haſta.
Claudit utrumque latus clarorum turba Sophorum.
Inde PROFESSORVM numerus deducitur ipſis
Principibus. Dic, LEIDA, tibi, dic, anne refulſit
Clarior ulla dies? Solennes ducere pompas

Pal-

Palladis ad delubra juvat. Ferit aurea cantus
Sidera. Stant Arcus ſtructi, monumenta ſuperba
Cum Titulis. Ubi tranſitum eſt, ACADEMIA laetis
Conſpiciturque choris, feſto clamore ſalutant
Hinc atque hinc glomerante pede, atque, ACADEMIA! cuncti
Conclamant, reboante ſolo. Paeana canentum
Ingeminant voces. Concentibus aethera mulcent
PIERIDES, lembo vectae; tum Praeſes APOLLO
Pulſat plectra lyrae; clavoque TRIDENTIFER adſtat.
In terram exſiliunt Divae, & complexibus addunt
Oſcula blanda, novis Doctoribus atque futuris
Certatim adventum gratantur rite Patronis.
Singula quid memorem? Vidiſti hunc, LEIDA, dierum
Et fauſtum, & laetum, quondam ſine nube peractum.
Nunc JVBILAEVS adeſt, ter quinquageſimus Annus.
Tertia nunc laetis agitantur Jubila Muſis.
Tot luſtris ſtetit Illuſtris, nullique ſecunda,
Quamlibet inſigni celebrique Academia doctae
Europae. Hanc feſtam lucem Clariſſimus ille
FABRICIUS renovat, denarrans ordine fata
Palladiae ſedis. Numeroſa panegyris audit
Et ſtupet. Ipſe PATRVM PATRIAE Illuſtriſſimus Ordo
Praeſidet, & Veneranda Viri dum ſuſpicit ora,
Concio docta frequens arrectis auribus adſtat.
Ipſe, fatebor enim, pendens dicentis ab ore:
Haec mecum: O mihi ſi faveat Latonia proles,

Huic ego ſuccinuiſſe Viro, comes ire diſertae
Quam cupiam linguae! Atque utinam facundia Baudî,
O utinam, patriae ſublimis gloria terrae,
Vena benigna mihi flueret tua, maxime Groti!
O mihi ſi ſummis liceat contingere labris,
Quo Divus, Verona, tuus ſe fonte perenni
Proluit! Heinſiadae ingenium docta arte politum,
Douſarumve vigor, quovis livore maligno
Major, ſi ſuperet! Quae nunc Burmannia laus eſt
Et priva, & propria. Hoc liceat Cenſore probari.
Eſt ſatis, huic uni non diſplicuiſſe Poëtae.
Aeternum faveas celebri, Deus alme, Lyceo.
Palladium hoc tueare; tuaque ſub aegide tutum
Eſſe velis pignus, quo ſalva eſt Belgica ſalvo.
Sic tibi perpetuos tua LEIDA adolebit honores.

ARN. HENR. WESTERHOVIUS.